

Gronas.

186

HUGONIS GROTII

EPISTOLÆ INEDITÆ,

Quæ, ad OXENSTIERNAS Patrem et filium, *aliosque Sueciæ Consiliarios e Gallia missæ, ac sub auspiciis viri plur. rever.* JACOBI LINDBLOM, *primum Ecclesiæ Lincöpiensis Antistitis, jam Archiepiscopi Upsaliensis, ex authentico exemplari, quod in Bibliotheca Lincöpiensi servatur, descriptæ, nunc prodeunt*

E X

MUSÆO MEERMANNIANO.

HARLEMI,
TYPIS A. LOOSJES, PF.
MDCCCVI.

LECTORIBUS.

Cum, ante paucos hos annos Parallelorum Grotii librum tertium editurus, non ſolum in Belgio noſtro, ſed in Suecia quoque, ubi varia ſummi viri ſcripta adhuc in tenebris latere dicebantur, inquirerem, num forte priores duo, aut etiam, ſi unquam chartæ mandati esſent, quartus et ſequentes libri in Bibliotheca Regia reperirentur: accidit, quod vix auſus eram ſperare, ut eorum loco, de quibus nemini compertum erat, centenæ fere Epiſtolæ Grotianæ, quæ in Muſæo litterario Eccleſiæ Lincöpienſis conſervabantur, neque unquam hac-

tenus luci erant traditæ, mira cum humanitate a venerando hujus Ecclesiæ Antistite, Jacobo Lindblom, nunc Archi-Episcopo Upsaliensi, mihi offerrentur. Cui generosi animi officio, cum avide et grate non exspectatum munus acciperem, hoc alterum vir plurimum eruditus adjecit, ut non solum juvenem mihi indicaverit, Lincöpiæ agentem, qui sedule, nitide et modico honorario, exemplar authenticum describeret, sed etiam ipse sibi curandum sumserit, ne mihi cum erroribus gravibus hæ litteræ, ut olim erant lectu difficiliores exaratæ, transmitterentur. Et hæ quidem cum ad me tandem pervenissent, observavi subito, tum omnes ad Legationem Suecicam, qua Hugo Grotius apud Ludovicum XIV. adhuc infantem functus est, pertinere, atque illustri Regni Suecici Cancellario, Axelio Oxenstiernæ, ejusque filio Johanni, nec non binis aliis Consiliariis Regiis, Schmalchio et Adlero Salvio, e Lutetia Parisiorum fuisse missas; tum eas plenas esse narrationum, quid hoc tempore Gallia moliretur, quid in illa de consiliis Principum exterorum et de belli eventibus per Europam uni-

ver-

verſam traderetur, quid denique Reginæ Regentis aula, quidque urbs immenſa, nec ſibi per plura ſecula plane disſimilis, memoratu dignum offerret; & has quidem narrationes non obſervationibus tantum Politicis exornatas esſe, quæ virum longævâ experientiâ inſtructum prodant, ſed animum etiam ſpirare virtutis amore flagrantem, belli, niſi omnino necesſarii, oſorem, nihilque ſibi majus gratiusque proponentem, quam muneris, quod ipſi ab aula Suecica demandatum erat, officia omni qua poterat induſtria et fidelitate implere.

Nihil itaque minus necesſarium duco, quam aut commendationem aliquam hujus editionis magnifice tradere, aut forte etiam cuidam Lectorum generi excuſationem afferre. Stilus enim Epiſtolarum Grotianarum, ut maxime conciſus, et eadem paginâ viginti et quod excurrit argumenta varia continens, non omnibus placebit. Ei certe, cui memoria viri omni mea laude majoris, et civis optimi cordi eſt, atque univerſis Hiſtoricæ disciplinæ amantibus hoc ſupplementum earum, quæ jamdudum editæ ſunt,

litterarum, gratum fore munus mihi polliceor. Et hoc quoque inutilisſimum mihi videretur, Galliæ, Sueciæ et omnis Europæ ſtatum eo, quo ſcriptæ fuere tempore, copioſe exponere, ut ipſa earum narratio diſtinctius intelligatur. Nam, ut de Brandtio taceam, qui in vita, quam nobis reliquit, Grotiana abunde his de rebus egit: quem quæſo fugit Hiſtoria triginta annorum belli, ex odiis religioſis, et ambitionibus Principum exorti, quod, cum ad pacem Weſtphalicam vergeret, per regiones univerſas inexhauſto furore ſæviit, et innocentisſimorum populorum ſortem miſerrimam reddidit? Timerem etiam re vera fabulas memoriae prodere, cum bella jam hoc noſtro ævo, prodigiorum atque inſolitarum rerum pleno, non pluribus fere diebus, quam iſto ſæculo annis abſolvi ſoleant; eoque ipſo gentium oppresſarum, civitatumque devaſtatarum calamitates, ſi non leviores et minus deplorabiles, breviores tamen et citius transeuntes efficiantur.

Cæterum huic editioni omnem quam potui curam impendi: ſupererant enim, in ea quæ

mi-

mihi missa fuit descriptione, nonnulla emendanda; in nonnullis etiam, ubi in authenticis litteris desperata pene reperiebatur lectio, conjecturæ criticæ locus fuit, quam an justam semper obtulisse mihi contigerit, Lectores judicent. De nominibus tantum propriis, aut minus celebratarum urbium, aut virorum obscurioris famæ, non æque anxie inquisivi. De Typographicis harum chartarum erroribus pauca habeo, quæ moneam. Postulat ordo chronologicus, qui præ cæteris mihi placuit, ut Epistola sexta ante quartam et quintam, undecima ante nonam et decimam, vigesima secunda ante vigesimam primam, quadragesima nona ante quadragesimam octavam, nonagesima prima denique ante trigesimam tertiam transponatur. Porro

Pag. 46 pro *Ethuriæ*, legendum *Ethruriæ*.
Pag. 102 pro *Tugam* leg. *Tingam*.
Pag. 137 pro *Augustinis* leg. *Augustini*.
Pag. 151 pro *Imperatore* leg. *ab Imperatore*.
Pag. 164 pro *referre* leg. *referri*.

Pag. 167 pro *Basſæ* leg. *Basſa* et pro *Pomerainam* leg. *Pomeraniam.*

Pag. 181 *Geneatium* leg. *Genuatium.*

Pag. 194 *Basſiliam* leg. *Baſtiliam.*

Pag. 195 *Abduxit* leg. *Adduxit.*

Pag. 297 *Suediæ* leg. *Suedia.*

Pag. 224 *Italatio* leg. *Palatio* et pro *factors* leg. *factos* Cæterum binis vel tribus locis pro *Chevrenſia* legendum *Chevreuſia.*

Dabam 27 Dec. 1806.

SE-

SERIES EPISTOLARUM.

I. Axelio Oxenſtierna, R. Sueciæ Cancellario. Hamburgi $\frac{\text{XVI}}{\text{XXVI}}$ Febr. 1633.

II. Eidem, Hamburgi $\frac{\text{XX}}{\text{XXX}}$ Jan. 1634.

III. N. N. (Joanni Oxenſtiernæ) Francof. $\frac{\text{I}}{\text{XI}}$ Aug. 1634.

IV. D. Schmalchio. Ad Ædem Dionyſii $\frac{\text{IV}}{\text{XIV}}$ Febr. 1635.

V. Eidem, ibid. $\frac{\text{V}}{\text{XV}}$ Febr. 1635.

VI. Eidem, Meldis VII Febr. 1635 Novi Cal.

VII. Eidem, ad Æd. Dion. $\frac{\text{XII}}{\text{XXII}}$ Febr. 1635.

VIII. Eidem, ibid. $\frac{\text{XIX Febr.}}{\text{I Martii}}$ 1634.

IX. Eidem, (Lutet.) $\frac{\text{XXVII Febr.}}{\text{VIII Martii}}$ 1635.

X. Axelio Oxenſtierna, (Lutet.) eodem.

XI. Schmalchio, Lutet. 5 Martii 1635.

XII. Ignoto, Lutet. $\frac{\text{XII}}{\text{XXII}}$ Martii 1635.

XIII. Schmalchio ibid. eodem.

XIV. Eidem, ibid. $\frac{\text{XVIII}}{\text{XXVIII}}$ Martii 1635.

XV. Eidem, ibid. XXII Jun. Novi Calend.

XVI. Axelio Oxenſtierna, Lutet. XI Aug. 1635.

XVII. Eidem, Lutetiæ $\frac{\text{VI}}{\text{XVI}}$ Aug. 1635.

XVIII. Schmalchio, Lutetiæ $\frac{\text{IV}}{\text{XIV}}$ Sept. 1635.

XIX. Eidem, Lutet. VII Nov. Cal. novi 1635.

XX. Eidem, Lutet. $\frac{\text{I}}{\text{XI}}$ Decemb. 1635.

XXI. Ignoto, Gallice ſcripta, (Paris) $\frac{\text{IV}}{\text{XIV}}$ Febr. 1636.

XXII. Schmalchio, (Lutet.) VII Febr. Novi Cal. 1636.

XXIII. Eidem, Lutet. VI Martii Nov. Cal. 1636.

XXIV. Eidem, Lutet. $\frac{\text{X}}{\text{XX}}$ Martii 1636.

XXV. Eidem, Lutetiæ $\frac{\text{XVII}}{\text{XXVII}}$ Martii N. C. 1636.

XXVI. Eidem, (Lutet.) $\frac{\text{XIV}}{\text{XXIV}}$ Jun. 1636.)

XXVII. Eidem, Lutet. XXVII Febr. N. Cal. 1637.

XXVIII. Axelio Oxenſtiernæ, Lutet. $\frac{\text{XIV}}{\text{XXIV}}$ Jul. 1637.

XXIX. Schmalchio, Lutet. XXVI Dec. 1637.

XXX. Axelio Oxenſtiernæ, Lutet. $\frac{\text{XVI}}{\text{XXVI}}$ Februarii 1640.

XXXI. Eidem, (Lutet.) $\frac{\text{XVIII}}{\text{XXVIII}}$ Febr. 1643.

XXXII. Eidem, Lutet. $\frac{\text{XXVI Martii}}{\text{IV April}}$ 1643.

XXXIII. Johanni Oxenſtiernæ, (Lutet.) $\frac{\text{XVII}}{\text{XXVII}}$ Junii 1643.

XXXIV. Eidem, (Lutet.) $\frac{\text{XXIX Julii}}{\text{VIII Aug.}}$ 1643.

XXXV. Eidem, ſ. l. d. et a.

XXXVI. Eidem, Lutet. $\frac{\text{XII}}{\text{XXII}}$ Aug. 1643.

XXXVII. Eidem, Plenipotentiario, Lutet. XV Aug. 1643.

XXXVIII. Eidem, (Lutet.) $\frac{\text{XIX}}{\text{XXIX}}$ Aug. 1643.

XXXIX. Eidem, Lutet. $\frac{\text{IX}}{\text{XIX}}$ Septembris 1643.

XL.

XL. Eidem, Lutet. $\frac{\text{IX}}{\text{XIX}}$ Sept. 1643.

XLI. Eidem, Lutet. $\frac{\text{XVI}}{\text{XXVI}}$ Septemb. 1643.

XLII. Eidem, Lutet. $\frac{\text{XXX Septemb.}}{\text{X Octob.}}$ 1643.

XLIII. Eidem, (Lutet.) $\frac{\text{XIV}}{\text{XXIV}}$ Octob.

XLIV. Eidem, Lutet. $\frac{\text{XXI}}{\text{XXXI}}$ Octob. 1643.

XLV. Eidem, (Lutet.) $\frac{\text{XXIX Octob.}}{\text{VII Nov.}}$ 1643.

XLVI. Eidem, Lutet. $\frac{\text{IV}}{\text{XIV}}$ Nov. 1643.

XLVII. Eidem, Lutet. $\frac{\text{XI}}{\text{XXI}}$ Nov. 1643.

XLVIII. Eidem, Lutet. $\frac{\text{XXVI Nov.}}{\text{VI Dec.}}$ 1643.

XLIX. Eidem, Lutet. $\frac{\text{XVIII}}{\text{XXVIII}}$ Nov. 1643.

L. Eidem, Lutet. $\frac{\text{IX}}{\text{XIX}}$ Dec. 1643.

LI. Eidem, et Johanni Adlero Salvio, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem, $\frac{\text{XXIV Martii}}{\text{I April.}}$ 1644.

LII. Iisdem, Lutet. $\frac{\text{XXXI Martii}}{\text{IX April.}}$ 1644.

LIII.

LIII. Poſtſcriptum Iisdem (Lutet.) $\frac{\text{xiii}}{\text{xxiii}}$ Aprilis (1644.)

LIV. Iisdem (Lutet.) $\frac{\text{xx}}{\text{xxx}}$ Aprilis 1644.

LV. Iisdem (Lutet.) $\frac{\text{xi}}{\text{xxxi}}$ Maji 1644.

LVI. Iisdem, Lutet. $\frac{\text{xxvi Maji}}{\text{iv Junii}}$ (1644.)

LVII. Iisdem, Lutet. $\frac{\text{xviii}}{\text{xxviii}}$ Maji 1644.

LVIII. Iisdem Lutet. xi Junii. 1644.

LIX. Iisdem Lutet. $\frac{\text{xv}}{\text{xxv}}$ Junii 1644.

LX. Axelio Oxenſtiernæ, (Lutet.) $\frac{\text{xvi}}{\text{xxvi}}$ Junii 1644.

LXI. Johanni Oxenſtiernæ et Johanni Adlero Salvio, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem, (Lutet.) $\frac{\text{xxiv Jun.}}{\text{ii Julii}}$ 1644.

LXII. Iisdem (Lutet.) $\frac{\text{xxx Junii}}{\text{ix Julii}}$ 1644.

LXIII. Iisdem (Lutet.) $\frac{\text{vi}}{\text{xvi}}$ Jul. 1644.

LXIV. Iisdem (Lutet.) $\frac{\text{xiii}}{\text{xxiii}}$ Jul. 1644.

LXV.

LXV. Iisdem, (Lutet.) $\frac{\text{xx}}{\text{xxx}}$ Jul. 1644.

LXVI. Iisdem, (Lutet.) $\frac{\text{x}}{\text{xx}}$ Aug. 1644.

LXVII. Iisdem, Lutet. $\frac{\text{xvii}}{\text{xxvii}}$ Aug. 1644.

LXVIII. Johanni Oxenſtiernæ, Lutet. $\frac{\text{xvii}}{\text{xxvii}}$ Aug. 1644.

LXIX. Johanni Oxenſtiernæ et Johanni Adlero Salvio, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem, Lutetiæ $\frac{\text{xxix Aug.}}{\text{vii Sept.}}$ 1644.

LXX. Iisdem, Lutet. $\frac{\text{xxxi Aug.}}{\text{x Sept.}}$ 1644.

LXXI. Iisdem, Lutet. $\frac{\text{xiv}}{\text{xxiv}}$ Sept. 1644.

LXXII. Johanni Oxenſtiernæ, Lutet. $\frac{\text{xxi Septemb.}}{\text{i Octob.}}$

LXXIII. Johanni Oxenſtiernæ et Johanni Adlero Salvio, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem, Lutetiæ $\frac{\text{xxi Septembris}}{\text{i Octobris}}$ 1644.

LXXIV. Iisdem (Lutetiæ) $\frac{\text{xxviii Sept.}}{\text{viii Octob.}}$ 1644.

LXXV. Johanni Oxenſtiernæ, Lutet. $\frac{\text{xxix Sept.}}{\text{viii Octob.}}$ 1644.

LXXVI.

LXXVI. Johanni Oxenſtiernæ et Johanni Adlero Salvio, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem, Lutet. $\frac{\text{v}}{\text{xv}}$ Octob. 1644.

LXXVII. Iisdem, Lutetiæ $\frac{\text{xix}}{\text{xxix}}$ Octob. 1644.

LXXVIII. Iisdem, Lutetiæ xxii Octob. 1644.

LXXIX. Iisdem, Lutetiæ $\frac{\text{xxvii Octob.}}{\text{v Nov.}}$ 1644.

LXXX. Iisdem, Lutetiæ $\frac{\text{ii}}{\text{xii}}$ Nov. 1644.

LXXXI. Iisdem, Lutetiæ $\frac{\text{ix}}{\text{xix}}$ Nov. 1644.

LXXXII. Johanni Oxenſtiernæ, Lutetiæ $\frac{\text{x}}{\text{xix}}$ Nov. 1644.

LXXXIII. Johanni Oxenſtiernæ et Johanni Adlero Salvio Legatis, Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem, Lutetiæ $\frac{\text{xxi}}{\text{xxxi}}$ Dec. 1644.

LXXXIV. Iisdem (Lutetiæ) $\frac{\text{xxvi Jan.}}{\text{iv Febr.}}$ 1645.

LXXXV. Iisdem, Lutetiæ $\frac{\text{i}}{\text{xi}}$ Febr. 1645.

LXXXVI. Iisdem, Lutetiæ $\frac{\text{xxx Mart.}}{\text{viii Apr.}}$ (1645.)

LXXXVII. Iisdem, (Lutet.) $\frac{\text{iv}}{\text{xiv}}$ Maji (1645.)

LXXXVIII. Johanni Oxenſtiernæ, ſ. l. d. et a.

LXXXIX.

HU-

HUGONIS GROTII

EPISTOLÆ INEDITÆ.

I.

AXELIO OXENSTIERNA, R. SUECIÆ CANCELLARIO.

Eminentisſime Domine, Magnos ſemper viros videndi cupidus, nemo eſt quem propius noſſe magis aut deſideraverim aut deſiderare debuerim, quam eum, quem ſibi inſtrumentum loco principe Rex, judicio non minus quam omni virtute conſummatisſimus, ad res in æternam memoriam exituras delegerat. Nunc cum id felicitatis ultro mihi obtulerit tua (non quæram verba novitate adulandi blandientia, ſed rem, ſi posſum, ſuo nomine ſignabo) non tam humanitas, quam Divinæ imitatrix bonitas, eſt hoc tanto lætius, quanto ſolent magis ſe nobis commendare, quæ optantibus et nondum ſperantibus obveniunt. Me quidem ſemper in tot et tam pertinacibus adverſis ſolata eſt mens non niſi honeſtisſimorum conſiliorum ſibi conſcia; ſed tamen ad erigendum animum magna virium adjectio eſt,

iis placere, quibus qui placent, habent cur ſibi non diſpliceant. Audebo igitur, tuæ Eminentiæ fretus æquitate, in jure manu conſertum vocare fortunam, magnumque mihi erit ad res meliores auſpicium, illam contingere dextram pace ac bello nobilem, et tantorum operum miniſtram, cui ſolam Sueciæ curam injunxisſe, injuria fuerat generis humani. D. Salvio quantum debeam ſatis intelligo, qui me immenſa maximorum negotiorum mole non obruto (nec enim poteſt) ſed occupato ſemper animo non pasſus eſt excidere. Cum illo igitur de tempore locoque comparabo. Et dum intuta ſunt itinera, mihique in hac coeli mutatione nondum ſatis firma valetudo, ſublimitatis tuæ placita illo interprete cognoſcam. Deum interim venerans, ut quæ pro Europæ quiete ſuſcepta ſunt conſilia glorioſo exitu ſecundet, teque, Eminentisſime Domine, non Principibus tantum ac Nationibus, ſed et litteris ſalutarem diu ſervet. Hamburgi $\frac{\text{XVI}}{\text{XXVI}}$ Februarii MDCXXXIII.

Tuæ Eminentiæ toto dedicatus animo

H. GROTIUS.

II.

II.

AXELIO OXENSTIERNA.

Eminentisſime Domine, ſicut illæ gentes, quas natura ſub extremos mundi vertices relegavit, lætari ſolent, ubi ſol e longo divortio propius ipſas redit, ideo quod ejus munere duo recipiant vitalia humano generi bona, calorem et florem caloris lucem: ita Saxoniæ huic nos gratulamur, quod tuæ Eminentiæ jubar poſt longa alibi ſpatia huc ſe retro egit, totoque optamus animo, ut ſecum adferat duo non minus ſalutaria Germaniæ bona, pacem et pacis alumnas artes. Ego, ſicut omnes Eminentiæ tuæ virtutes quo debui cultu veneratus ſum ſemper, ita illud nunquam ſatis mirari potero, quod tantæ legationis onus ſuſtinens, tot arma et armatos regens, et Agamemnonis inſtar Principum Princeps, diſtrictum immenſis negotiis animum ad me usque pasſus es deſcendere, quo nullum unquam majus pretium cepi mei in litteras cultus, eoque merito quicquid unquam a me proficiſci poterit Tuæ Eminentiæ gratum, id omne ei prætoriis verbis do, dico, addicoque. Cur autem nunc minus ab hac urbe et uxore abſcedere liceat quam ante hac, cauſas ex domeſticis meis rebus D. Salvio enuntiavi, quas ipſum pro ſua æquitate Eminentiæ Tuæ probaturum confido, cui et pittacium reddidi illud pecuniarium, de beneficio, etiamſi itineri vacuum tempus habuisſem, non uſurus, quippe qui magnum ſatis

honorem judicarem tuis affatibus frui, ut ad eos non mercede invitatus ſed ſponte feſtinare deberem. Quo uno nunc poſſum modo tam propenſæ in me voluntati reſpondere, Deum precor, Eminentisſime Domine, conſilia actaque tua ad optimos exitus gubernet. Hamburgi $\frac{XX}{XXX}$ Januarii MDCXXXIV.

Tuæ Eminentiæ addictisſimus devotisſimusque

H. Grotius.

III.

N. N.

ILLUSTRIS DOMINE.

Multos ſæpe Viris magnis commendavi, aut ipſorum precibus evictus, aut ipſa ductus humanitate. Ceterum Petro Hartsvigio, pridem mihi noto, non præſto commendationem, ſed teſtimonium perhibeo quod ipſi jure debetur, vix quemquam me Germanorum nosſe, cui ſtudia felicius præcesſerint, non ad inanem ſpeciem, ſed ad ſolidos uſus: ita judicio valet, ita per Galliam, Italiam aliaque loca ex virorum magnorum amicitia retulit optimam frugem, ita juris civilis ſcientiam cum hiſtoriarum cognitione cunctisque rebus, quibus rempublicam geſturi inſtrui ſolent, junxit. Filius eſt Senatoris Hamburgen-

gensis; sed quod ipsi ad facilius obtinendas dignitates prodesse debuit, id contra vertit per familiarum certamina, frequens malum civitatibus, quæ liberas se dici volunt. Sæpe a regni Suedici Ministris admonitus ut ei regno operam suam deferret, occasionem huc veniendi arripuit ex itinere Britannici legati, neque tamen movere quidquam voluit ante tuæ Excellentiæ adventum, cui quod innotuerit eo satis se beatum putat: eoque non alii debitor esse vult honoris, si quis ipsi Eminentissimi Viri Parentis tui contingere poterit. Ego ei viro maximo multos esse scio qui operam laudabilem præstent: sed si ab hoc non minora quam a quoquam sperari posse dixerim, haud vanum me credam pollicitationis. Notum Tuæ Excellentiæ et Henricum Frisium gaudeo, utentem latino sermone ea puritate atque elegantia, ut pauci sint, qui cum eo possint contendere: omnium præterea honestarum litterarum appetentissimum, ac prorsus magnæ spei. Sicut his felicitatem suam gratulor, ita filii mei vicem doleo, quod ante hinc tua Excellentia discesserit, quam illum, quod optaveram, in tuam notitiam potuerim perducere. Sed Deum precabimur, ut brevi te Patri negotiisque te dignis sospitem sistat, nobisque facultatem det devotissimum tibi animum rebus approbandi. Francofurti $\frac{I}{XI}$ Augusti MDCXXXIV.

Tuæ Excellentiæ addictissimus

H. GROTIUS.

IV.

D. SCHMALCHIO.

Quas nuper ex itinere ſcriptas, acceptis tertiis tuis, binas me priores ſcripſeram non accepisſe, eas ad me nunc adhuc ad ædem Dionyſii agentem perlatas lætus ſignifico, tibique, tum pro aliis, quæ quamvis minuta ſæpe ad res majores inquirendi veſtigium præbent, tum præſertim pro illa parte litterarum D. de la Grange, ad negotium mihi mandatum pertinente, gratias habeo. Apparet eum esſe ſtatum Cæſariani exercitus, ut ſi quid in Germania esſet veteris Germanici ſpiritus, multa et præclara audendi bella ſit occaſio, ſed homines in conſiliis lentos, in iis ad rem conferendis etiam pigriores, ad externos rumuſculos huc illuc ſeſe circumagentes, quæ ſalus ſervet? In auctoritate Illuſtrisſimi et Excellentisſimi D. Cancellarii ſpes reſtat unica. Sed quid navigantibus prodeſt habere bonum Gubernatorem, ſi ipſi, arte ipſius ductuque contemto, ventis ſe malunt permittere? Vide rerum humanarum varietatem: Apud vos alii plorant, oſcitant alii; heic in aula Gallica cantatur et ſaltatur. Et quid nos vetet, tempora quamvis triſtia, ſi non hilares, certe animi tranquillos tranſigere? Vale, doctisſime eruditisſime juvenis, meque amicis, niſi grave eſt, commenda.

Ad ædem Dionyſii $\frac{\text{IV}}{\text{XIV}}$ Februarii MDCXXXV.

Tui amantisſimus
H. Grotius.

Gra-

Gratias, quantas posſum, habeo Illuſtrisſimo et Excellentisſimo D. Cancellario, quod grata ſibi oſtenderit officia a D. de la Grange mihi exhibita. Ego ejusdem argumenti ad D. de la Grange litteras mitto, ut et conſolatrices ad Feuquierium, quarum curam tibi commendo. Mitto has ad Excellentisſimum; ſi is Wormatia abierit, alius mihi erit indicandus. Eorum quorum heic nomina uſurpare posſimus mercatorum, indicium nuper feceram; ſi alios habetis, fidos et notos, iis utar. Heuſdius et Hipſtenius boni ſunt, ſed non unis Suedis addicta eſt eorum opera.

V.

D. SCHMALCHIO.

Heri, doctisſime Schmalchi, ſcripſi et tibi et Illuſtrisſimo Excellentismoque D. Cancellario recta Wormatiam. Nunc cum intelligam retentari omnes litteras quæ Wormatia veniunt, ad me misſas, ut arbitror, præcipue idem futurum puto de iis quæ committuntur. Ideo has per Metim mittendas cenſui, et cum iis litteras ad me Heppii. Ego quid quantumve illi debeatur neſcio, et totum negotium relinquo prudentiæ Illuſtrisſimi et Excellentisſimi Domini. Ceterum quæ ſcribit etiam pasſim loquitur, et rebus noſtris nocet, ut ex Heuſdio cognovi. Ingesſerat ſe alter, me non rogante, negotio meæ receptionis in urbem. Vereor ne res turbaverit. Pri-

 mum

mum dixerat Comes de Brulon, Regis admisſionalis, die Veneris aut Saturni futurum ut inducerer: nunc moras alias nectit; tentat an incognitus Urbem ingredi cupiam, poſtea, ubi commodum erit, exiturus et ita recipiendus ſolemniter, quod Veneto factum nuper. Metui, ne, ſi id facerem, res poſtea procraſtinando in oblivionem venerit, regnoque Suedico ignominioſum foret minus honoris accepiſſe quam alios. Itaque conſtitui hærere heic ad Dionyſii ædem, et experiri legatio noſtra ipſis cordi ſit nec ne. Nam etiamſi incognitus inirem, non eo a Rege audirer citius; eſt enim et hoc in eorum manu. Credibile eſt, ab ipſis litteras exſpectari nuntiaturas, quid apud Illuſtrisſimum et Excellentisſimum Dominum ſui egerint legati. Ad ædem Dionyſii $\frac{\text{V}}{\text{XV}}$ Februarii MDCXXXV.

Tui amantisſimus

H. GROTIUS.

Heppius totus a Patre Joſepho pendet (*a*).

VI.

D. SCHMALCHIO.

Litteras tuas, Schmalchi doctisſime, Wormatiæ ſcriptas die XVIII Januarii ex Calendario vetere, cum

(*a*) Hæc notis ſcripta.

cum Meti diei unius iter progresſus esſem, recte accepi: non item priores quarum meminiſti. Gratias ago pro iis quæ ſcribis quæque mittis. Plane futurum ſuspicor, ut Philipsburgi jactura incaleſcant tepentes hactenus Gallorum animi, ut ſolet ſæpe ex malo emicare aliqua boni occaſio. Ubi Lutetiam venero, a qua nunc abſum diei iter, facile intelligam quid ibi de iſta ſeu culpa ſeu infortunio judicetur. Ne nimium Gallos Germani accuſent Wirtzburgum efficiet, quod diutius potuisſe defendi a plerisque creditum memini. Tantam fuisſe commeatuum inopiam, ut Dux Bernardus Vinarienſis retro cedere coactus ſit, doleo et ob rem ipſam, et quod ingens argumentum est, Germaniam a ſemetipſa deſeri. Plura ſcribam, tuæque in me edocendo diligentiæ par reponere ſtudebo, ubi orbem et amicos videro. Rogo D. Digur-Corium et amicos officioſe ſalutes. Meldis VII Febr. MDCXXXV novi Cal.

Tui ſtudioſisſimus

H. GROTIUS.

VII.

D. SCHMALCHIO.

Poſtquam Mercurii die elapſæ hebdomadis ad te et Illuſtrisſimum Exellentisſimumque Dominum ſcripſeram, Schmalchi doctisſime, litteras accepi tuas ſcriptas XIII Jan. vet. Cal., cum decimo octavo ſcrip-

tas jam ante accepisſem. Ideoque illas ſuſpicor esſe de ternis, quarum mentionem feceras ſecundas: me autem primarum litterarum additamentum male ei numero accenſuisſe. Facit hæc res ut ſuſpicer, quod nuper quoque ſcripſeram, retentas esſe quæ ad me venerant litteræ recentiores, more Gallis non infrequenti: quo magis ſtudendum nobis ut per homines Gallis ignotos, certe quos nobis notos neſciunt, litteræ mutuo curentur. Nunc per viduam Bomartii rurſus experior: ſed vereor, ne eo perlatæ ibi aliquot dies reſideant. Serio nobis id agendum, ut et tuto ac celeriter commeent epiſtolæ. Cur me bis rogaverit *La Grange* manſurusne *in Gallia* esſet *Heppius* ad *Grotii* adventum, nunc demum intelligo, et puto te quoque ex ante ſcriptis intellecturum. Baronum Axeliorum Præfectus jam aliquoties queſtus eſt pecuniam ſibi deesſe: ego an ipſi eroganda ſit largior, neſcio. Heufdius nulla ſe habere dicebat mandata. Noſti (*a*) D. Deodati, virum in rebus civilibus apprime verſatum. Is me urget adjutor ei ut ſim, ne diutius careat eo quod fide optima et maxime necesſario tempore Raſchio credidit. Susceperat ejus negotii commendationem Leſslerus. Omnis ſpes in benignitate Illuſtrisſimi et Excellentisſimi D. Cancellarii ſita eſt, qui haud dubie, quantum ſine incommodo Raſchii fieri poterit, æquæ poſtulationis habiturus eſt rationem. Et eſt is D. Deodati, cui multæ occaſiones naſci posſint rependendæ vicis be-

(*a*) Hæc linea et aliquot ſequentes notis ſcriptæ.

beneficio, multum enim ingenio nec minus industriâ valet, et gratiosus est apud multos. Quid de Puy-Laurentio in proscenio dicatur, ex hac charta vides: quæ post, siparium latent, cum tempore patescent. Usselingus noster Americam diu noctuque cogitat, multumque sudat ut Gallicas pecunias in extraneas inferat societates, duri operis conatu. Tabellarius a vestris partibus suo tempore, id est heri, non venit: id omnia heic plena facit adversis rumoribus. Vale, Carissime Schmalchi. $\frac{\text{XII}}{\text{XXII}}$ Febr. MDCXXXV. Ad Dionysii.

Tui studiosissimus
H. GROTIUS.

VIII.

D. SCHMALCHIO.

Litteras, doctissime Schmalchi, tum quæ XXIII tum quæ XXVIII Januarii sunt scriptæ, nunc demum accipio, cum multo recentiores habeant alii, et in iis capita relationis ab Illustrissimo et Excellentissimo Domino Cancellario ad Wormatiensem habitæ conventum. Omnino quærenda est ratio litteras ita mittendi, ut et cito curentur, et in curiosas manus non deveniant, quod evitari non potest, si aut ad me, aut ad Heufdium, aut ad Hebsteinium, quos notum est commercia litterarum habere nobiscum, mittantur. Aut illa nomina usurpanda sunt, de quibus ego Meti secundis scripseram litteris, aut alia non suspecta. Et tamen ne sic quidem recte

per-

perventuras spondere ausim. Attamen nihil omittendum, ut recentes inter nos commeent litteræ. Tuæ illæ ternæ litteræ venêre quidem ad me, sed ex iis binæ testudineo gradu. De Brunefelsio gaudeo, sed serum gaudium: nec minus placet cum Saxone sublatam controversiam, et cum Galliæ Marescallis bene conventum. Hic choreis succesſit carcer eminentium, et sæva in ipsos fama, frater Regius musſitat. Vastum ubique silentium, velut ademto loquendi audiendique commercio. Axeliorum Præfectus sæpe me interpellat, eoque magis quod metuit, ne in partes ad Albim abeat Illustrisſimus et Excellentisſimus D. Cancellarius. Non dubito quin aut provisum sit illorum rebus, aut futurum ut prospiciatur, quantum res et familiæ exigunt. *Heppius* coelum, terras, maria movet ut *apud Regem Galliæ maneat* (*a*). Has cum vellem claudere, redduntur mihi tuæ die VII Febr. vet. st. scriptæ per Heusdii diligentiam, quæ nunc quidem bene succesſit. Habeo gratiam pro nuntiatis et transmisſis, et ut pergas rogo. Manuscriptum, et illud cujus meministi, et nunc cum tuis litteris novum, recte accepi et instabo imperatis. Quæ consilia sequatur Dux Bernhardus Vinariensis scire aveo, et an civitas Francofurtensis se ad meliora flectat. Rex Chantiliaci est, quæ domus Montmorantii fuit, Silvanecto haud procul; sed substiturus ibi non creditur, quia Cardinalis modo Ruellæ est, modo in urbe. Plura nunc scribere non sinunt tem-

(*a*) Hæc notis scripta,

temporis angustiæ, abituris jam jamque tabellariis. Bene vale, eruditissime Schmalchi, et nos ama. Ad Dionysii $\frac{\text{xix Febr.}}{\text{i Martii}}$ MDCXXXV.

Tui amantissimus

H. GROTIUS.

IX.

D. SCHMALCHIO.

In ipso discessuri tabellarii articulo, accipio tuas xvi Febr. vet. Cal. scriptas. Meas, quas Meldis et ab æde Dionysii ternas scripseram, interceptas a Gallis magis quam ab hostibus suspicor. Et quomodo id periculum evitari queat, nondum satis video. Has tamen, nil valde celandum continentes, per Heusdium mitto. Probat mihi se indoles Baronum Axeliorum, quos Rex in avunculi honorem sane perquam amice ad salutationem admisit. Deducam eos ad Cardinalem quoque et Principes. Hispani de Illustrissimo et Excellentissimo D. Cancellario, de Duce itidem Bernhardo tristissima heic sparserant, quæ gaudeo tuis referri litteris. Ego heic omnibus quantum possum persuadeo, speciosa nobis per Saxonem offerri. Ad D. Hambræum litteras curabo. Vale, Vir doctissime. $\frac{\text{xxvii Febr.}}{\text{viii Martii}}$ MDCXXXV.

Tibi addictissimus

H. GROTIUS.

X.

X.

AXELIO OXENSTIERNA.

Ad aulam cum proficiſcerer nudius tertius, ſcripſeram. Citius inde reverſus quam putaram, litteris illis, nondum hinc misſis, novas addo, ut norit Illuſtrisſima Excellentia veſtra ea quæ deinceps ſecuta ſunt, honorifica omnia. Quo loco Lutetiam inter et Silvanectum pernoctaveram, mane cum Regis carruca obviam mihi venit Dux Mercæurius, Vindocinenſis Ducis filius, Henrici Quarti ex naturali filio nepos, ſimul cum Comite Brulono, Regis admisſionali. Dicebant avide me a Rege exſpectari, multaque in me humana. Ab his ad Regem perductus ſum trans prætorianos milites, qui in legationis reverentiam in armis erant, quorum ductor aliis me deducentibus ſe adjunxit. Statim ut Regem adii, jusſus ſum capite esſe tecto, et ſi quando inter loquendum nudabam caput, Rex idem fecit. Oratio mea narrationem continebat foederum Sueciam et Galliam inter; excuſationem non probatorum quod Sueciam attineret Pactorum Pariſienſium; gratias pro benevolentia Regis mutuique amoris a Regina et Rectoribus teſtationem; de tua quoque Illuſtrisſima Excellentia ea, quæ et Regi erant grata, et Illuſtrisſimæ Excellentiæ veſtræ non indecora, plane ex præſcripto partis primæ mandatorum. Audiebat Rex attentus et hilaris: poſtea miratum ſe dicebat (et loquebatur quam ſolet expeditius, quod

pro

pro coeli ſtatu ei evenit), quod factæ pactiones ab iis qui tanta poteſtate inſtructi esſent, probatæ non esſent. Dixi non definite factas, ſed ſi placerent iis a quibus venerant; placuisſe Germanis, idque nos facile perpeti: ſed quod Suedicum Regnum attineret, probari omnino non potuisſe: idque non eo accidisſe, quod minoris quam par ſit Regis amicitiam faceret ſua Illuſtrisſima Excellentia, ſed ex cauſa plane contraria, quod rebus ipſis manifeſtum fore. Subjiciebat Rex arbitrari, ſibi fuisſe liberum de pecunia ſua ſuoque milite quod vellet ſtatuere; fatebar, dummodo antiquiori foederi injuria non fieret. Quod maxime mihi placebat erat id quod poſtremo Rex dicebat, niſi Romanenſibus exercitium Religionis permitteretur, nihil inter nos fieri posſe; ſe neminem odisſe religionis cauſa: ſed ſicut noſtra nobis cordi esſet, ita et ſuam ſibi, neque ejus curam a ſe posſe negligi. Reſpondi, Regis ſincerum animum circa religionem notum omnibus; ſperare me, cogniturum Regem in eo negotio noſtram et æquitatem et ſtudium ejus benevolentiam demerendi. Suſpicabar, a D. Feuquierio relatum aliquid Regi quaſi ab Illuſtrisſima Excellentia Veſtra dictum in eo negotio durius. Interjecerat et in ſermone aliud de quorundam locorum cuſtodia, negans eum esſe rerum noſtrarum ſtatum, ut a nobis rectius quam a ſe defendi quirent; id ſilentio præterii, quia, ſi quid ad rem reſpondisſem, id exprobrationem amisſi Philipsburgi in ſe habiturum videbatur. Summa hæc fuit, delegaturum ſe qui mecum agerent, quo et poſtrema

pars

pars orationis meæ tecte tetenderat. Gratiis actis deduxerunt Dux ille et Comes me ad prandium, ſane opiparum, cui et Barones Axelii adfuere, quos Rex ſalutationis officio perfungentes benignisſime acceperat. Circuit poculum in ſalutem Reginæ noſtræ, Regis Galliæ, Ill. quoque Excellentiæ Veſtræ. Cras aut perendie futurum puto, ut ad Cardinalem primum, ita enim mos eſt, deinde ad Principes et Regis miniſtros, qui in urbe adhuc ſunt, deducar. In Batavis, de mittenda ad res Polonicas Suedicasque legatione pendet adhuc deliberatio. Rex Daniæ neſcio unde metum concepit de Bremenſi Epiſcopatu a Suedis tradendo in manum filii Principis Arauſionenſis: qua de re cum Cracovio eſt locutus. Paraibam tandem Batavorum venisſe in manus, jam conſtat, ſed copias non longe habet Albuquerquis, et in Luſitania viginti naves parantur, quæ ſaccari copiam ex S. Salvatoris portu petant. In Anglia fervet adhuc navium armandarum labor, diſtributis in provincias urbesque impendiis, ita ut ad ſeptenas inſtruendas Londinium $\frac{\text{m}}{\text{XXVI}}$ librarum ſterlingarum promiſerit. Deus, Illuſt. et Excellentisſime Domine, diu Ill. Excellentiæ Veſtræ res profſperet. $\frac{\text{XXVII Febr.}}{\text{VIII Martii}}$ MDCXXXV.

H. Grotius.

XI.

X I.

D. SCHMALCHIO.

Scribo has tandem, mi Schmalchi, Lutetia, receptus ut legatis Regiis mos eſt: iturus cras hinc, ut perendie ad aulam perveniam, inibique creditis mihi negotiis auſpicium faciam. Didici hoc quoque experimento, multa ſuperari animo forti atque conſtanti, quem me in rebus omnibus præſtiturum ſpero. Rex Silvanecti eſt, quod vulgus Senliſium vocat: Cardinalis adhuc Ruellæ. Puylaurentio in carcere permisſa eſt ſuppellex honoratior, unde conjectura nihil feſtini mali ipſi imminere. Senanti, duo amicorum ipſius, ita torti ſunt, ut alter ex quæſtione mortuus dicatur. Hærent in crimine adulterati nummi, ſed extra regnum. Ea labes aliquid notæ inuret iſti comitatui. In laudes Cardinalis Ducis effuſa heic omnia ingenia; quippe et nova Academia Poëtarum atque Oratorum in id a Cardinali inſtituta, quæ operum ſuorum præcipuum credit celebrare ſui coetus auctorem. Frater Regius Blæſam primum hinc abiit, inde in agrum Andegavenſem, proque Cancellario habet Butillerium, Regis Secretarium Status, ſperante aula ab eo adduci posſe fratrem Regium, ut ex animo abjiciat controverſum hoc matrimonium. Cætera nugarum aulicarum ex charta adjuncta diſces. Vale, Schmalchi

 doc-

doctisſime, mihique multis nominibus carisſime. Lutetiæ v Martii MDCXXXV.

Tui amantisſimus

H. Grotius.

Niſi me conjectura fallit, *Heppius* id agit, *ut Germanorum nomine in Galliis* maneat (*a*).

XII.

. . . .

Nobilissime Domine.

Amicitiam Nob[æ] Dominationis Tuæ quanti faciam, malim me rebus oſtendere posſe, quam verbis eloqui: nam et animi candorem, et ſupra ætatem prudentiam, et omnium honeſtarum litterarum ſtudium, quo ſunt rariora, hoc magis laudo et miror; optoque materiam tibi contingere, in qua tot illæ virtutes tuæ publice luceant. Me poſt aliquot moras, et de poteſtate Illuſtrisſimi et Excellentisſimi Domini Cancellarii inanes disputatiunculas, in Urbem honeſtisſime introductum, ſignificatum deinde Regis de adventu meo gaudium, perductum me ad Regem magnifice, auditum benigne, ſatis jam puto Nob.

(*a*) Hæc notis ſcripta.

Nob. Dom. Tua intellexerit. De re ipſa quid ſit futurum, neque ego dum ſcio, et ipſos, qui regnum moderantur, vix ſatis ſcire arbitror, mobiles ad quamque rumorum auram. Eſt adhuc in hac urbe Thomas Campanella, et ſcriptis et calamitatibus ſuis vir notisſimus. Adiit Principem Wittembergium; narravit ei jam olim conſpectam ſibi Patris ipſius geneſin; quæ prædixisſet, addebat: quæ probata eventibus ajunt, qui in ejus ſunt familia. Dubium non eſt, quin ſi eam artem profiteri heic coeperit, multos reperturus ſit, ipſum qui conſulant. In aula magni fit. Eduntur heic et Theodoreti et Cyrilli opera, multo quam antehac auctiora; et Biblia cum verſionibus Chaldaica, Syriaca, Arabica, præter Græcam et Latinam, multo ampliora editione illa Plantiniana. Cardinali Riceliaco tantum eſt otii, ut Poëtis dictet argumenta Comoediarum. Adeo eſt non tantum par negotiis, ſed et ſupra. Vidisſe Nob. Dom. tuam arbitror Mileterii ſcriptum de concilianda Romana et Reformata Religione, id eſt jungantur jam Gryphes equis. Is qua ſit acrimonia exceptus ab hominibus ſuæ profesſionis, ex libello, quem mitto, dabitur noſcere. Utinam ſit melius aliquid, in quo quanti æſtimem tuæ Nob. Dominat. gratum facere, apparere posſit. Deus eam ſervet incolumem. Lutetiæ $\frac{\text{XII}}{\text{XXII}}$ Martii MDCXXXV.

Tuæ Nob. Dom^is^ obſervantisſimus

H. GROTIUS.

XIII.

D. SCHMALCHIO.

E tuis, Schmalchi doctisſime, litteris, quas XXI Febr. V. C. dediſti, quasque ego X demum Martii V. C., id eſt octo quam ſolet fieri diebus tardius, accepi (nec miror, nam Meti et has et alias detentas fama eſt), intelligo meas ad V Februarii datas recte perveniſſe. Præcesſerant eas Meldis datæ litteræ, quæ Lutetiam a me præmisſæ erant, ut inde ad nos mitterentur, quas an acceperis dubito. Scripſi iterum ab æde Dionyſii $\frac{\text{XII}}{\text{XXII}}$ Februarii, indidem $\frac{\text{XIX Febr.}}{\text{I Martii.}}$ A Lutetia $\frac{\text{XXIII Febr.}}{\text{V Martii}}$, indidem $\frac{\text{V}}{\text{XV}}$ Martii, atque earum poſtremarum miſi et alterum exemplum, amico Metim eunte. Hæ omnes rectene perlatæ ſint ſcire velim, multæ enim inſidiæ litteris fiunt, aut retinentur aut reſignantur. Ego non deſino omnes vias recte et tuto eas curandi tentare. Venit huc D. de la Grange, hinc ad Cardinalem, qui Realmenti eſt, me non vidit, ſed viſurum dixit ubi redierit. D. Heppius pridem Cardinali, nunc et Regi valedixit. Quo minus abeat, moram in pecunia esſe ait, idem mihi oſtendit illa, quæ de pacificatione Saxonica habetis a Brandeburgico. Intellectum ait ſibi, *Suecicæ Cancellarium iturum clam per Galliam ad Albirum* (*a*), per lactucas ad hordeum.

Ve-

(*a*) Hæc notis ſcripta.

Venit ad me adolescens Princeps Wittembergius, magnam ejus curam habet Rex. Castilionæus jam tandem in Lotharingicos abiit fines. Litteras Illustrissimi et Excellentissimi Cancellarii de re Usselingiana accepi; non deero occasionibus, et quid fieri possit explorabo. Luxui in dies gliscenti quæ remedia Rex admoverit, ex edicto, quod transmitto, dabitur conspicere. Optimæ sunt in Gallia leges: deest una, quæ ceteras observari efficiat. Vale, vir ornatissime. Lutetiæ $\frac{\text{XII}}{\text{XXII}}$ Martii MDCXXXV.

Tuus toto animo

H. GROTIUS.

XIV.

D. SCHMALCHIO.

CLARISSIME DOMINE.

Litteras Cl. tuæ ordine accepi inverso: x Martii vet. Cal. datas per Gemmingium nudius tertius; Calendis Martiis datas hodie. Scripsi quot fuêre Jovis diebus. *Heppius* haud dubie alium quærit qui sibi imperet. *Suediæ* consilia perturbat; ne quid jure queratur, curatum gaudeo. Causam Eliæ Deodati speciali epistola Illustr. et Excellentissimo D. Cancellario commendavi. Æquum est ut Raschius fidem præstet, et ut id fiat publice etiam refert.

 Spi-

Spiram receptam heic per celeres nuntios didicerant. De Auguſta et res per ſe gravis judicatur, et perniciosum exemplum. Periculoſis ſemper in bello plurium imperiis jam puto remedium adhibuerit Cardinalis, vocato ad tuendum Piccardiæ limitem Bresſæo. Ab *La Grange* omnia pesſima exſpecto. Captat aulæ gratias damno ſociorum. Rumor heic fuerat, male ei convenire cum *Feuquierio:* eo futurum, ut hic retineretur. Si id verum fuit, rem ſuam novis quibusdam Joſephitatibus reſtituit. Ducis Bernhardi confectum negotium, et conſtare ipſi cum Illmo et Excellentisſimo D. Cancellario amicitiam gaudeo. Magnis heic laudibus attolluntur ipſius ad Spiram res geſtæ. Negotium cum Polonis in ipſo, ut video, limine offendit; ſed ſatis adhuc ſupereſt temporis ad cruditates iſtas concoquendas. Cardinalis (magna otia Coeli clamaret Juvenalis) novum inſtituit collegium virorum doctorum, qui ſe, variis propoſitis argumentis, vincta ſolutaque oratione exercent. Ipſe Sigillorum Cuſtos huic Collegio adſcriptus eſt. Batavius Bruxellis antehac legatus, Balſacus, abit. Fervet opus. Ceteros rumuſculos in chartis vides, quæ has litteras comitantur. Vale Clarisſime Domine. Lutetiæ $\frac{\text{XVIII}}{\text{XXVIII}}$ Martii MDCXXXV.

Tuæ Cl. addictisſimus amicisſimusque

H. GROTIUS.

Cetera ſermoni reſervo.

X V.

D. SCHMALCHIO.

VIR CLARISSIME.

Quam multæ meæ litteræ tardius quam vellem ad vos pervenerint, vel hinc disco, quod xxiv Maji vet. Calendarii D. Broersonum salutas, quem pie explesse mortalitatis curriculum, humoque a nobis mandatum cum honore, quantum mos ferebat, jam pridem significavi. Magnum in eo virum amisit patria: magnum amicum quotquot eum novimus; sed ferenda sunt immo et grate habenda, quæ sciscit summus vitæ arbiter. Quod longæ per mare jactationis tædium vobis diluerit Batavorum humanitas, etiam ipsorum causa gaudeo. Non dubito quin, ut in Gallia, ita apud Batavos aucta sit ex conspectu colloquioque Maximi Cancellarii veneratio, cui soli datum, quod paucis ab omni ævo, præsentiâ famam vincere. Utilis haud dubie transitus fuit, etiam ad nexum propiorem amicitiæ inter gentes, unde, ut spero, pulcros fructus causa communis tam in Saxonia, quam in Borussia, metet. Britannus, de quo scribis, exspectationem meam non fefellit. Haud dubie genti illi ex Suedorum non minus, quam ex Gallorum prosperis, oculi dolent. Ego Amstelodamo mittere ad vos litteras non desinam, donec edoctus sim, an per Germaniam ab Albi ad Rhenum Moenumque pateant itinera. Quæ

in litteris meis ſunt ad Excellentisſimum D. Cancellarium, cum eas tibi non clauſas norim, fruſtra hic repetam. Gaudemus omnes ita ingresſos in bellum cum Hiſpano Gallos, ut regredi, hominibus præſertim gloriæ cupientibus, non ſit facile; neque dubitamus, ea res Germanis Proteſtantibus præclaras ſit paritura rei gerendæ occaſiones: Hiſpano adeo non misſuro auxilia ut ſolet Imperatori, ut ipſe ab eo ad ſuas necesſitates, et quidem magna ſatis, abducat. Ego, quod, cum hic esſes, demonſtrare rebus non potuerim, quo in te ſim animo, ſane doleo. Itaque pro gratiis, quas ſupervacuo agis, ſi veniam impetro, ſatis felix ſum. Pro beneficio accipiam, ſi recte valere te per teipſum intelligam. Si quid ultra accesſerit, quo inſtructior ſim ad publica gerenda negotia, id lucro deputabitur. Lutetiæ XXII Junii novi Cal. MDCXXXV.

T. Cl. addictisſimus obligatisſimusque

H. GROTIUS.

X V I.

Adſcripta litteris Excellentisſimo R. S. Cancellaro, datis II Aug. novi Cal MDCXXXV, quæ exſtant in Vol. impr. pag. 167.

Jam nunc mihi dicitur, Gallos, ut illud dignitatis in mari certamen cum Anglis evitent, ſepoſito Regis nomine, velle pro auxiliis cenſeri Batavorum, qui

qui Anglis cedere turpe non exiſtimant. Ituros autem cum Batavis in Hiſpaniam aut Americam bellum portaturos. Multa ſunt indicia, unde quis colligat id agere Gallos, ut ſuum nomen paullatim bello ſubducant. Argentoratenſes nutantes admodum Rex magna ſpe ſuffulcit.

XVII.

AXELIO OXENSTIERNA, S. R. Mtis R. QUE S. CANCELLARIO.

Excellentissime Domine.

Qui his meis conjunctas litteras Sublimitati tuæ ſcribit, eſt domo nobilis, et in honoratâ militiâ Adjutor ſive Locum tenens, ut loquuntur, cohortis prætoriæ Regiæ. Multos in aula hac amicos habet, qui omnes me rogarunt, ut ipſius negotium ſummæ æquitati Sublimitatis Tuæ commendarem. Accepit in dotem nomen aliquod militare ex bello, ni fallor, Livonico, de quo Rex immortalis memoriæ Guſtavus ſuum ipſius auctori chirographum dedit. Ego, qui ignorarem, quid in Sueciæ regno de id genus nominibus esſet conſtitutum, nihil definite dicere ei potui; neque tamen putavi negandas ei meas ad Sublimitatem Tuam litteras, rogante præſertim id Comite Brulono, qui ſuas et ipſe preces ſcriptas adjungit, quibus Sublimitas Tua tantum, quantum æquitas feret, tribuet ponderis. Deus te, Excellen-

lentisſime Domine, diu ſervet incolumem. Lutetiæ $\frac{VI}{XVI}$ Auguſti MDCXXXV.

Tuæ Sublimitatis cultor devotisſimus

H. Grotius.

XVIII.

D. SCHMALCHIO.

Nobilissime Domine.

Primas tuas, poſtquam Hamburgo abiiſtis, nunc demum recipio. Scio difficiles esſe curandi rationes: tamen quotieſcunque ſe dabit occaſio edoceri de iis quæ geruntur, vel in hoc debeo, ut aliqua, nuntiando alia, expiſcari posſim: nam mutis nemo loquitur. Ex Magni Cancellarii geminis litteris datis xxiii et xxx Julii vet. Calend. ſummam rerum quæ illic geruntur intelligo, quæ utinam ſit loco meliore. Accedet hoc ad vetera exempla, quam facile disſuantur Principum et Civitatum ex necesſitate aut uſu temporum factæ ſocietates. Quod a me petis præſtarem libenter, ſi ea nosſem, ſine quibus recta dijudicatio fieri non poteſt: An cum Polonia bellum habituri ſimus; an iis, quas Saxo obtulit, conditionibus meliores aliæ obtineri posſint; quid allaturus ad vos ſit ſancti Chaumontius; Batavis noſtris an voluntas et facultas futura ſit, aliqua ope, quæ momentum faciat, juvandi res veſtras. Nam de Gallicis rebus quid certum, quid incertum ſit, non de-

desum septenis quotque diebus, sæpe et extra status dies, occasione data, perscribere. Deliberationes istæ magnam rerum singularium et in dies mutantium cognitionem desiderant: quæ cum mihi desit, nisi quantum ad res mihi propiores pertinet, in quibus tamen ipsis nos crebro fallunt nuntii, nec minus crebro conjecturæ, pro consilio preces contribuam, Deum rogans, ut in eam partem flectat animos, quæ primum Sueciæ Reginæ ac regno, deinde et Germaniæ Protestantium rebus sit futura tutior simul atque honestior. Magisne metuenda sint belli pericula, an pacis insidiæ, eorum est æstimare, qui et vires partium norunt, et de consiliis eorum, quibuscum res est, ex quotidianis actionibus, perque alias secretiores vias, judicium facere possunt. Litteræ posteriores magni Cancellarii schedarum A. B. C. D. E. mentionem faciunt, quas non accepi, errorene ibi commisso, an viarum incerto, an eorum culpa per quos curatæ sunt litteræ, haud dixerim. Quarum schedarum mentionem priores faciebant litteræ, eas recte accepi, speroque non sine usu fore. Plane te rogo, ut eorum, quæ sciri possunt, sciam quam sæpissime quam plurima. Mandatum mihi munus quantâ maximâ possum diligentiâ percolere non desinam. Vale, Vir Clarissime. Lutetiæ $\frac{\text{IV}}{\text{XIV}}$ Sept. MDCXXXV.

T. Cl. addictissimus
H. GROTIUS.

D. Diodati se bonitati tuæ commendat.

XIX.

XIX.

D. SCHMALCHIO.

Litteras ad me tuas vii Septemb. v. Cal. et alteras datas $\frac{\text{XI}}{\text{XXI}}$ Septemb. ſimul accipio. Litteras M. Cancellarii, quarum poſteriores tuæ mentionem faciunt, puto illas esſe, quæ pridie id eſt x Sept. v. Cal. datæ erant, quas cum chartis nonnullis alio faſciculo accepi, jam ſextus eſt dies. Acta cum Saxone non noſtræ tantum ſed et venturæ ætati teſtimonio erunt, nihil eorum omisſum a Magno Cancellario, quæ ad pacem veram fidamque poterant ducere. Dolendum valde, quod, ſociis cauſam ſuam ſegregantibus, exercitus quoque noſtri fides aut fortitudo labaſcit. Illa vero animi moderatio in M. Cancellario plane admiranda, quia, et contumeliis et vi lacesſitus, hoſtile tamen nihil agit in Saxonem, videlicet aut tempus opperiens, quo is ad ſe redeat, aut, ſi id non detur, oſtenſurus humano generi, invitum ſe in hoc bellum trudi. Meas, quas $\frac{\text{XIV}}{\text{XXIV}}$ Aug. ſcripſeram, ſpero jam ad vos perlatas: cum mari commeant litteræ, multa improviſa interveniunt, per quæ fit, ut ſæpe ſero admodum, quo mittuntur, pertingant. Veſtrarum litterarum nullas puto intercidisſe; etiam illæ, quas navi incenſæ periisſe ſuſpicio fuerat, jam apud me ſunt. De negotio Galli Adjutoris in cohorte prætoria, juſta eſt M. D. Cancel-

cellarii excuſatio. Ego tamen, multis amicis rogantibus, tralatitium commendationis officium non putavi negandum. Eliæ Devaati cauſam tibi cordi esſe gaudeo, et ſane meretur tum rei æquitas, tum viri virtus: oro, ſi quid promoveri poteſt, ne te laboris diſtædeat. Pacta induciarum cum Polono habemus heic edita, et confectis ex voto rebus rediturus huc putatur Davauſius. Cum ex uſu rerum præſentium exiſtimarem de his, quæ heic et alibi aguntur, M. D. Cancellarium quam primum et quam certisſimâ viâ edoceri. Filium meum miſi, quem, amicitiæ tuæ fiſus, tuæ fidei tutelæque commendo. Si quis ejus uſus esſe poteſt (ſcio per ætatem et nondum tinctum rebus animum haud magnum esſe posſe) erit gratum aliqua illum tirocinia ponere; ſi nulla materia eſt, in qua ſe exercere posſit, redeat ad nos. Illud quoque rogo, ut, quod ei mandavi de duobus Trimeſtribus mihi debitis, et de pecuniâ in itinera erogatâ, cordi tibi ſit. Quæ diligentius urgere cogor, ideo quod in ſupellectilem legationi convenientem mihi, qui prænumeratum nihil accepi, magna facienda fuit erogatio. Præterea cum, ſolis dictis M. Cancellarii contentus, hoc oneris ſuſceperim, velim adverſus mortalitatis caſus aliquid me certi habere, ut, ſi res ita cadat, exigere posſim quod debebitur. Poſtremo, ut in poſterum animo tranquilliore et pro exiſtimatione regni honorem hunc tueri posſim, ut ſciam quo in loco et a quibus poſthac accipere Trimeſtria debeam. Nam mihi poſt tot impendia non eſt præſentis pecuniæ copia ad

ero-

erogationes faciendas. Hæc rogo tibi cordi esse patiaris. Vale, Vir Nobilissime. Lutetiæ VII Nov. Cal. novi MDCXXXV.

T. N. Studiosissimus

H. GROTIUS.

X X.

D. SCHMALCHIO.

Heri demum, id est decimo Decembris novi Calendarii, accepi eas litteras, quas $\frac{\text{III}}{\text{XIII}}$ Octobris Wismaria dederas. Scio longa esse intervalla, et, terrestri itinere nobis per bella ablato, mari nihil esse certi, in regno scilicet ventorum. Communis sors communiter ferenda est. Hoc tantum rogo, facias quantum permittunt tempora, ne, quæ ibi geruntur, ab aliis potius, ut nunc ex litteris, quas ad D. Hepstenium misit cum actis novis D. Mullerus, quam tuo beneficio discam. Ego omnium, quæ his in locis possunt resciri, ipse te gnarum facerem, nisi ad M. Cancellarium litteras tibi patere scirem. Nunc hyems omnes belli conatus gelat, in Italia, ad Rhenum, in Belgico limite; fervent interim omnia novarum dignitatum commentis. Ea nunc ad pecuniam publico reperiendam facillima via est, non sentiente plebe, quantum in ista hirudinum crescente mul-

multitudine ſit mali. Spero pervenisſe ad vos ſilvam, quam miſi antehac, Edictorum, ad res tales pertinentium: item de rei maritimæ vectigalibus. Fecit D. Camerarius in ſuis ad me litteris mentionem faſciculi a D. Cancellario. Eum non accepi. Caleti forte hæret, ut multæ fiunt inſidiæ legatorum ad legatos litteris. Forte et D. Grubius, ad quem vos mittere puto, interdum abeſt Hamburgo. Nulla, ni fallor, certior erit ratio, quam ſi litteræ mittantur cum inſcriptione ad mercatorem Hamburgenſem, cum altera ad aliquem Caleti, cum tertia ad alium Lutetiæ, ut ſub alienis nominibus perpetuo delitescant. Et ita alios legatos facere intelligo. Ex actis recentibus, quæ transmiſit D. Mullerus, video, quam dure nos habeat Saxo. Bene eſt, quod ſenſit, pacis æquæ ſtudium, tanta lenitate D. Cancellarii demonſtratum, non venisſe ex imbecillitatis conſcientiâ. Itaque meliora indies exſpectamus. Det Deus, teque, Vir nobilisſime, ſervet. Lutetiæ $\frac{I}{XI}$ Decembris MDCXXXV.

Rogo ſciam, ſintne a conventu Polonico probata induciarum pacta. Et quis ſtatus Livoniæ ſit futurus in religione. Ex uſu communi judicem litteras inſcribi, ſi D. Grubbius forte abſit, Hamburgum, Au Sr. Overbeach; Caletum, au Sr. Michel Haus marchand; Lutetiam, au Sr. Henry Olivier, ut inſidias effugiant.

H. GROTIUS.

XXI.

XXI.

N. N.

MONSIEUR.

Il y a deux jours, que m'eſt parvenue la votre très-agreable du $\frac{4}{14}$ Decembre, dont je Vous remercie, & principalement du ſoin, que Vous avez voulu prendre de m'inſtruire ſi particulièrement de ce qui s'eſt pasſé avec l'Ambasſadeur de France, & des victoires, que Dieu a données a notre parti, jusqu'à ce tems là. Ce qui s'eſt pasſé à Colmar & aux environs, vous le verrez dans une lettre de Monſieur de Thou, l'Intendant de la juſtice & des finances du Roi en l'armée du Cardinal de la Valette. Le Duc Bernhard a défait près de Bovigny quelques huit cens des ennemis, & ſollicite ici par ſes gens du ſecours contre l'ennemi, qui en ces endroits eſt ſi puisſant, qu'il a été asſièger Longuy, lieu ſitué entre Lutſembourg & Verdun. Le Duc de Rohan, voulant attaquer Curty près du fort de Fuentes, en a été repousſé: cependant que les François courent l'Alexandrin, & que les troupes du Duc de Parme, qui jusqu'à trois mille ſont arrivées à Plaiſence, cherchent d'entrer dans le Laudois & Cremonois. Quatre mille Imperiaux ont pasſé les montagnes, & ſont arrivés aux terres de Milan. Six mille hommes d'Infanterie & deux de Cavallerie ſe preparent à faire le même pasſage. Le Roi fait état d'avoir

cet-

cette année vingt mille hommes dans l'Italie, qui feront à lui, outre ceux des Ducs de Savoye & de Parme, pour attaquer l'Espagnol du coté de Milan, de Cremona, & du lac de Como. Faisant tant d'efforts ils espèrent, qu'en quelque lieu ils auront la fortune favorable. Voilà les nouvelles du tems. Cette année nous en produira bien d'autres, si la paix, à quoi on travaille à trois endroits, à Rome, a Lunebourg & à Turnhout, n'en coupe le fil. Je vous prie Monsieur de me tenir toujours pour

Le $\frac{4}{14}$ Febr. 1636.

Votre très affectionné serviteur

H. DE GROOT.

Monsr. Servien un des quatre Secretaires d'Etat est demis de sa charge & confiné à Saumur. Longui est pris sans doute.

XXII.

D. SCHMALCHIO.

Marinus, cujus litteras ad M. D. Cancellarium mitto, et suas res mihi commendat, et iter suum urget Constantinopolitanum, non dubitans quin Turcæ pax cum Persa jam in propinquo, aut facta sit, eaque magnas rerum gerendarum in illis locis paritura sit occasiones. Ego quid temporibus conveniat, tantis spatiis a vobis dissitus, judicandum mihi

non ſumo; tantum de amico amicum facere memorem, puto ab officio non alienum. Acta conventus Suedici, ut prudenter compoſita, a rerum peritis hic laudantur. Intelligo ex Polonis, Dantiſci disſidiis Proteſtantium inter ſe regem frui ſtabiliendæ ſuæ potentiæ. Spina Palatinus, qui hic eſt, mihi narrat centurias esſe Gallorum, quæ quinque tantum milites habeant; in oppidi cujusdam præſidio duos tantum milites repertos; cohortes ſive regimenta reperiri trecentorum tantum. *Legatus Anglicus apud Hispaniam arcana quædam ibi propoſuit ſuper Palatina domo; Viennæ Britanni petunt inveſtituram Palatinatus* (*a*); reſponſum habere nihil impetraturos, niſi prius petatur *venia;* videntur tamen ſibi non deſinere ſpes in *Rege Hispaniæ* collocatas habere. Vale cum amicis. VII Febr. Novi Cal. MDCXXXVI. Hoc vere Conſtantinopoli exſpectatur Sultanus, fractâ multum Perſæ potentiâ, quem pacis cupidum fore non dubitatur. Parmenſis ſtudium in res Gallicas magno it probatum pignore ſuo in hanc aulam adventu.

H. GROTIUS.

XXIII.

D. SCHMALCHIO.

Quod nuntiem haud multum habeo: ita incerta ſunt omnia. Hoſtis non longe Viriduno Moſam tran-

(*a*) Hæc notis ſcripta.

transſiit; Campaniæ oppida ſtrenue munit, tutaturque Comes Suesſionenſis. In Piccardiam, quo ſe ex Belgico fine aliæ hoſtium copiæ contulerant, Rex militem mittit, et tuendo Regno, ut vetus mos eſt, Nobilitatem evocat. Comiter hic exceptus Parmenſis abit, locum facturus Duci Bernhardo, qui hic exſpectatur, ut conſilia ſociet cum Valetta, Fortio, Feuquerio, qui omnes hic ſunt. Res in regno quietæ hactenus, quanquam non deſunt discordiarum ſemina. In Italia nihil niſi prædæ aguntur, terra marique. Ad Tombium bene ſe muniunt Hispani, ad Bremmam Sabaudus, ad Clavennam et Comenſem lacum Rohanius. Pergunt novæ hoſtium copiæ transgredi Alpes, partim ad Mediolanenſem agrum, partim Valli Telinæ infeſti. Navium Hispanicarum, quæ peditem Hiſpanum Genuâ Vadum adduxerant, una, ejus generis quas Galiones vocant, tempeſtatum vi mesſa eſt. Wirtenbergenſes legati Viennæ adhuc detinentur. In Alſatia Enſishemum et Marchelshemum retinent Cæſariani. Argentoratum et Baſilea pro fortuna partium modo huc, modo illuc nutant. Ver appetit, res majores, ut credibile eſt, allaturum. Galli Vallem Telinam plane exemtam volunt Rhætorum imperio, niſi quod e tribus nominatis unum judicem electurus ſit Rhætiæ Conventus. Proteſtantibus neque Sacra neque habitatio in Valle permittitur: ſed liceat eis bona ſua vendere, aut per Romanenſes reditus accipere. Cenſum Rhæti e Valle percipiant belli tempore xv M, pacis tempore xxv ſcutatorum. Hæc Rhætis

non placent: sed concoquenda sunt validiorum imperia. Ilanæ nunc consultatur his de rebus. Dux Bernhardus jam Meldas advenit. Hostis in Campania cum XIV millibus abest a Catalauno leucis XII. Tibi tuisque omnia opto prosperrima. Lutetiæ VI Martii novi Cal. anni MDCXXXVI.

H. GROTIUS.

XXIV.

D. SCHMALCHIO.

Post ea quæ scripsi ante octo hos dies, nihil habemus dignum nuntiatu, nisi quod Dux Bernhardus, gratus Regi Proceribusque, legatos resalutans, fidem suam in bonum publicum ac res maxime Suedicas, quantis potuit maximis indiciis, testatus est. Cum eo nunc Rex et proceres ad S. Germani fanum consilia ineunt, quibus bellum procul Gallico fine in hosticum inferatur, intentâ maxime in Italiam curâ, ubi nuper Pralinus, Gallico more in pericula audentius quam prudentius se ingerens, a Liganesio milite validiore circumventus inclususque clade affectus, ac quo minus ipse cum militibus, quos habebat octingentos, interiret, Crequiaci adventantis fama supra verum copias ejus attollente, servatus fuit, novo super tot vetera documenta, temperandos consiliis fortes animos. Campaniam adhuc bene tuetur comes Suessionensis. Ad Picardiæ finem mittitur Castilionæus. Tabernas Elsatiæ, fame ac pestilentia co-

cogente, a Galasſio derelictas, fama intelligimus. Ego, ex quo ad oram maritimam maris Balthici eſt M. Cancellarius, deſii ad Reginam ſcribere, quum intelligerem omnia multo defæcatius per ipſum M. D. Cancellarium ejus Majeſtati ſignificari poſſe. Nunc Ducis Bernhardi rogata omittere non potui, quin ejus obſequia ipſa nota facerem. Id argumentum eſt litterarum quas mitto. Vale, vir Nobiliſſime $\frac{X}{XX}$ Martii MDCXXXVI. Lutetiæ.

H. GROTIUS.

XXV.

D. SCHMALCHIO.

Sterilia rerum novarum eſſe ſolent non hyemis tantum, ſed et crudi adhuc veris tempora. Tamen digna nuntiatu victoria apud Ravonem in Lotharingia Gallis contigit Martii XVII. Novi Calend. Capiebant iſthac iter Cæſariani, quos e Baſilienſi agro viciniſque locis fames abegerat, ut agrum Lutſenburgicum peterent, Sociorum ibi copiis ſe addituri. Re intellecta, neque enim latere agmen duorum ferme millium poterat, occurrit a Novocaſtello, quod apud Tullos eſt, Marchio Lafortius, Mareſcalli patris in laudes ſuccreſcens filius, patentibusque ad Ravonem campis, deprehenſum hoſtem, non longo prælio, præcipua tuborum vi, quos Musquettas vocant, partem alteram exitio dedit, alteram fugere

coëgit, captis equeſtribus ſignis fere duodecim. In Italia, ad reprimendos Mutinenſis per agrum Placentinum curſantis proceſſus, Crequiacus cum ſeptem peditum millibus, equitibus mille ducentis aut amplius, partim ſui, partim Sabaudici militis, ad Ticino amni proxima promovit ſe, ipſumque Mediolani præfectum eo metu Novariam pertraxit. Fontani caſtello adſita pergit occupare Rohanius. Difficilem in deliberationem idem Dux implicuit Rhætos, qui nunc Curiæ conventum habent, Regis mandato ab eis poſtulans, ut, contenti juris imagine, vim ipſam imperii in Vallem Telinam remittant, ac ne Proteſtantibus ibi habitare liceat. Tibi omnia opto feliciſſima. Lutetiæ $\frac{\text{XVII}}{\text{XXVII}}$ Martii novi Cal. MDCXXXVI.

H. GROTIUS.

XXVI.

D. SCHMALCHIO.

Quod mihi a publicis negotiis ſubceſivi eſt temporis, id rerum Suedicarum antiquitatibus inquirendis inſumo. Eam ad rem velim transmitti mihi ſi quod eſt Dictionarium Suedicum, ſive addito Latino, ſive alio quovis ſermone, Novum quoque Teſtamentum lingua Suedica, et exempla vetuſtiſſimarum inſcriptionum, ſive ſepulchralium ſive aliarum. Vidi et latine verſas leges Suedicas, quas itidem,

ſi

ſi fieri poteſt, videre cupiam. Ad hæc ſi mihi adjutor esſe poteris, obligabis me, et dabo operam, ne ſterile hoc beneficium apud me deſideat. Hucusque ſcripſeram cum tuas accipio, datas $\frac{X}{XX}$ Junii, in quibus miror, cum ſeptimo quoque die ad M. Cancellarium, ad te quoque ſcripſerim, menſem et menſis dimidium elabi potuisſe, ut nihil acceperitis; ſed et litteræ ad Sprecherum meæ omnes, et ipſius ad me, ab aliquot menſibus in itinere, neſcio quomodo, periêre. Et quas nuper ad Ryngravium miſeram, pervenerunt ad ipſum, ſed ſine M. Cancellarii litteris, quas una miſeram. Si a Gallorum artibus hæc eveniunt, non bene ſtatur pactis de curanda litterarum libertate. Litteras M. Cancellarii, ſcriptas $\frac{XX}{XXX}$ Maji, mittente D. Camerario, recte accepi. Habeo gratiam pro iis, quæ nuntias, et pro bonis verbis Britanni, ad quæ reſponſum M. Cancellarii videre avebo, ut ad ejus prudentisſima præcepta ego quoque ſermones meos temperem. Te videre ac complecti, coramque teſtari quanti faciam abs te diligi, utinam detur. Noſtri omnes amicisſimo animo te ſalutant. Miror, a filio meo pridem me nihil habere litterarum. Valere te opto quam optime. $\frac{XIV}{XXIV}$ Julii. Si placet M. D. Cancellario, ex pecunia Gallica dari Mouſterio, ut picturæ, quas jusſus fecit, accipiantur, Florenos CCC; item ſi vult dari, quæ dixerat III M. Florenorum pro chartis

Hottomannicis, curabo ut per Heufdium numeratio fiat et res expediatur. De Admisſionalibus quoque rem permitto ipſius arbitratui. Bis dat, qui cito dat.

Tuæ nobilitatis ſtudioſisſimus

H. Grotius.

XXVII.

D. SCHMALCHIO.

Quicquid a nobis tibi gratum proficiſci potuit, et exiguum eſt, et tibi tuo jure debitum; itaque gratias illas, quas tam liberaliter agis, lubens admodum tibi remitto, paratus ſemper amicitiam Tuæ Nobilitatis, quam plurimi facio, omnibus officiorum generibus colere alereque. Quæ ad Te e Sueciâ ſcripta commemoras, congruunt ſatis cum temporum ratione et reſponſo, quod Avangurio datum eſt. Ego in omni meo ſermone, etiam eo quem ad Regem his diebus habui, ita oſtendo fortem noſtrorum animum, ut non taceam difficultates, tum quæ ex pupillari regno curiâ tales deliberationes naſci ſolent, tum quæ imminent ex tanto hoſtilium exercituum in nos concurſu, niſi amici, et valide, et abſcisſa omni contatione, partem hujus procellæ avertant. De Ducis Bernhardi litteris puto non male T. N. conſtituisſe; nam et alias recentiores in meo faſciculo miſit, poſtremo quo ſcripſi die.

Haud

Haud dubie et Princeps multum ſua referre exiſtimat, ut Suedi in bello maneant. Galli ajunt putare ſe, nihil actum iri in Polonienſi conventu ante menſem Majum. Vale, quam optime. Lutetiæ XXVII Febr. novi Calend. MDCXXXVII.

H. Grotius.

XXVIII.

AXELIO OXENSTIERNÆ.

Edicta ad rem pecuniariam pertinentia ab annis aliquam multis, et aliud de maritimis vectigalibus, quæ nuper ſperaveram me per D. Mullerum poſſe mittere, cum is juſtis de cauſis ſe excuſarit, aliam nactus occaſionem, mitto; quicquid eſt rerum novarum, et utinam ſint quam ſunt meliores, different nuntiari in eum diem, quo proficiſcuntur tabellarii: ut ſi non certa, vix enim certa percipimus, infesſis itineribus tamen non nimis vetera perſcribam. Nihil addam igitur niſi ad Deum preces, Excellentisſime Domine, pro Sublimitatis Tuæ valetudine rebusque proſperis. Lutetiæ $\frac{\text{XIV}}{\text{XXIV}}$ Julii MDCXXXVII.

H. Grotius.

XXIX.

D. SCHMALCHIO.

Lætor tam prosperum fuisse Tuæ Præstantiæ in patriam iter, quam narrant tuæ $\frac{\text{IV}}{\text{XIV}}$ Novemb.; utque non minus feliciter Hamburgum pervenias precarer, nisi jam eo pervenisse augurarer: quod si est, arbitror facile conventurum inter vos ac D. Davausium; puto enim Gallos ad pecuniam oblatam adjecturos aliquid, modo producatur tempus foederis. Hic certe multum desideratur ejus negotii consumatio: quo magis rogo, ut, cum primum fieri poterit, quicquid ejus fiet, discam. Infirmæ sunt Landgravii pupilli res: imminet ei Darmstadiensis; et pars Hassiæ, quæ inferior est, ad pupillum pertinens, non exspectato viduæ imperio, pacem fecit cum Cæsare; fecit idem Comes Hanoviensis, et urbem suam tradet, si poterit: quo magis et Suediæ milite et Galliæ pecuniâ sustentandæ erunt res viduæ, ne ei post tot defectionum exempla labascat animus. Nam Ducem Wirtembergensem jam domi suæ esse intellexeris, magna tamen bonorum, quæ possedit olim, parte mulctatum. Pomeranis causæ cur querantur satis esse credo, at spei melioris haud multum. Tartaros, de quibus scribis, puto esse Præcopenses. Polono nunc an Moscovitæ infestiores, haud satis scio. Transylvanum audio invisum valde aulæ Byzantinæ, itaque, ni-

nisi vestra gratia placare ei Turcam poterit, non vacabit ei de vexante *Imperatore* cogitare. De Wrangelii rebus, minus quam vellem prosperis, dolens intellexi. Restituet fortunam felicior Bannerius. De Gothorum Scythica origine est quidem vetus fama, Olavo Johannique Magnis sæpe memorata: sed an ejus rei aliqua sint argumenta, præter ea quæ ego in præfatione posui, cupiam scire. Certe, quæ attuli de innumeris Persicæ linguæ vocabulis cum Gothica congruentibus, magnam habent vim, ut credibile faciant, quæ dixi. Eorum vocabulorum recensionem non exiguam fecere Vulcanius et Lipsius; sed Pentateuchum Persicum, quod ab Judæis est editum, legenti multo se plura offerunt. Si quid Messenii prodibit, aut haberi poterit, gaudebo legere. Fieri enim non potest, quin homo, linguæ vestræ non minus quam antiquitatis gnarus, multa observaverit, quæ nobis difficile sit indipisci. Quod tantæ curæ tibi esse voluisti D. Deodati negotium, idque donec confecisses non desieris, multum tibi ipse vir bonus et litteratus, multum et ego ipsius nomine, quippe et ejus et ejus similium valde amans, debeo. Cætera quæ hic audiuntur apud Scherlingium reperies, felicia tibi opto omnia. Lutetiæ xxvi Decembris MDCXXXVII.

T. Pr. addictissimus

H. Grotius.

XXX.

XXX.

AXELIO OXENSTIERNÆ.

Cum omnia illuſtrisſimæ domus, et me obligatisſimum ſibi habentis, Oxenſtierniæ bona ad me pertinere ſemper crediderim, tum maxime gaudeo Illuſtrisſimum D. Baronem Oxenſtiernam in patrui patrisque laudes feliciter ſuccresſcere. Neque ipſe laudatore eget, neque ego omnibus quæ in eo laudanda video commemorandis deprædicandisque ſuffecerim, votis potius agam Deumque precabor, ut tot ex iſta domo ortis regni Suedici columinibus hoc quoque velit addi, virtutumque perpetuam hæreditatem in illo ſanguine conſervet. Idem Deus, Ex. et Ill. D., Tuam Sublimitatem diu regno, diu ſuis, diu nobis ſoſpitem præſtet! Lutetiæ $\frac{\text{XVI}}{\text{XXVI}}$ Februarii MDCXL.

H. GROTIUS.

XXXI.

AXELIO OXENSTIERNÆ.

Serizantius Gallus, homo nobilis, præterea eruditus mihique commendatus a multis amicis meis, et jam ab Illuſtribus Suedis, qui hic ſunt, et ſuper hoc operibus etiam ſuis, quæ ſcripſit Oratione vincta et ſoluta magno ſpiritu, nec minore ingenio, cum

Sue-

Suediam velit petere, et ex armorum Suedicorum commilitio majus ſibi quam aliunde decus ſperet, dignus mihi viſus eſt quem notitiæ ſublimitatis tuæ traderem. Deus, Excellentisſime et Illuſtrisſime Domine, Sublimitati tuæ ſemper favens adſit! $\frac{\text{XVIII}}{\text{XXVIII}}$ Februarii MDCXLIII.

H. GROTIUS.

XXXII.

AXELIO OXENSTIERNÆ.

Disſimulare non posſum, multa esſe quæ me hoc tempore non patiuntur esſe extra ſollicitudinem. D. Chavigniacus ſe ad iter parat, vult comitem ſibi ire D. Gothefredum, eum qui hic vivit, et, hiſtoriæ veteris novæque peritisſimus, utilem Regi præbet operam. At is ſe excuſat, cauſamque amicis dixit, quod nolit miſcere conſiliis, quæ in fraudem foederatorum inſtitui videt. Pater Angelus, qui Patri Joſepho quondam adjutor fuit, dixit fore, ut exercitus Regis Proteſtantium ſumtu vivant. Et certe Guebriani miles exhauſit ſolum Wirtembergicum. Mileraius autem, ſi Dux Anguianus conſuluerit, ut Picardiæ limite præſidere posſit, iturus in Treviros; tum vero ſuſurratur in Belgico confinio collocuturos Card. Mazarinum et Melonem, nempe ut clam alios ſuorum quieti conſulant. Id quo rectius fiat, volunt Galli, poſt diem quem Danus præfinit, tres ſibi

ſibi menſes ſumere ordinandis rebus ſuis. Vulgant iidem, ad Guebriani exercitum mitti pecunias et ſupplementum ad ſex millia, de quibus multi dubitant. De captivis mutandis convenit. Eſt hic extraordinarius legatus ab Ethuriæ Duce ad juſta Reginæ matri peragenda. De Deitone res adhuc incertæ. In Hiſpania vinculis exemti Mediniſidemus et Fervandinus, exercitus imperium Philippo Silva datum. De Roſis in Cathalania ac de Molta Lotharingici rurſum obſidentes ſermones jactantur, ſed incerti; ab Helvetiis legatio hic expectatur. Deus has res omnes ad bonum dirigat Chriſtiani orbis, et privatim regni Suedici; idemque, Excellentisſime et Illuſtrisſime Domine, conſilia Sublimitatis tuæ proſperet! Lutetiæ $\frac{\text{XXVI Martii}}{\text{IV Aprilis}}$ MDCXLIII.

H. GROTIUS.

XXXIII.

JOHANNI OXENSTIERNÆ.

Dominica die quæ præteriit, venit ad me D. Davauſius, pars nunc arctioris conſilii, ex quo de inſpectione ærarii partem accepit alteram, attulitque mihi jusſu Reginæ archetypas litteras, ad Reginam misſas ab Imperatore et ab Auguſtâ. Auguſta Hiſpanice ſcripſerat valde ſororiis verbis ea, quæ ad participationem doloris et ſolatia Chriſtiana pertinebant. Imperator latine et magnifice de eodem ar-

argumento, ac præterea metuentem ſe, ne hic triſtis caſus moram afferret deſideratis hiſce ab omni orbe Chriſtiano pacis colloquiis, mittere ad Reginam regentem easdem, quas et Hamburgum jam mitteret, litteras tuti itineris pro legatis Ludovici XIV et Reginæ regentis. Regina, ſimulatque litteras a Vienna venire intellexerat, aperire eas noluit (agit enim omnia valde circumſpecte); ſed miſit ad Cardinalem Mazarinum, qui, advocato ad ſe Davauſio, interrogaverunt curſorem aulicum, ita nempe litteris Imperatoriis vocatur, qui eas tulerat, de tempore quo abierat, cognovere eum inde abiisſe poſtquam et alia et pugna ad Rocroyum ibi nuntiata fuerant. Ego ſummas Reginæ regenti gratias egi, quod tam aperte ageret cum Regina Suediæ, debere eam a Regina noſtra parem exſpectare fidem, cui non displicet, quod de pace colloquia tandem inſtituantur; neque per ejus Majeſtatem ſtaturum, quo minus pax fiat honeſta, et tuta regnorum utrique et foederatis. Dicam aliquid non magnum, ſed quod conjecturis materiam præbere poteſt. Fuit quidam apud curſorem viſus, qui unde venerit neſcio: ſed Auguſtæ Epiſtola dicebat, cetera dicturum amplius Reginæ regenti iſtum nobilem (*eſte Cavallero*) ita habent verba Hiſpanica, quo nomine an pro ſua comitate honorare voluerit curſorem, ut interdiu fieri ſolet, an indicare alium, ſane non dixerim; ceterum plane arbitror, nihil facturam Reginam ſine conſcientia ſociorum, quamquam Chevrenſia creditur molitura omnia pro Hiſpanis, apud quos bene

ha-

habita eſt, et his diebus, ſimul atque a Bruxellis litteræ advenerant, accesſit Reginam eique in arcano locuta eſt. Statim poſt acceptas ab Imperatore litteras, Regina jusſit properare D. Davauſium promotum ad honores, et D. Chavigniacum demotum ab honoribus ad loca colloquii; magna eis attributa pecunia, ad ſuſtinendam Regni dignitatem. Dux Longovillanus ſequetur, ſi Imperator inter legatos Principem mittat, eſt autem is valde magnificus. Cancellarius Segnierius multa per noviter gratioſos largiendo ſuſtentat adhuc ſeſe, et Card. Riceliaci propinqui multa dant, ut plus ſervent. Ceterum Fortequerius, quem Pontcurlæus et Esquillonia huc vocaverant, ut eum a vicaria præfectura Portus gratiæ demoverent, per Reginam in locum ſuum reſtitutus eſt. Blavetæ quoque, cui præfectus eſt Millerajus, qui nunc hic eſt, et Brovagii, cui præfectus Millerajus vicarii præfecti ſunt dati, qui Regi ac Reginæ juramentum dixere. In Theodonis villam duo millia hoſtium nova intrarunt, et Beckius non longe abeſt cum quindecim millibus; attamen procedit obſidio, ad quam habet Dux Anguianus, ut hic dicitur, XXVI millia hominum, machinas XXX, currus DCCC, ruſticorum ad opera Caſtrenſia ter mille; ii nunc laborant, ut caſtra vallo muniant. Panes et Nanciaco veniunt. Mittitur pecunia ad Mottam Odincurtium, qui Tortoſam dicitur eminus operibus includere, et in Italiam. De Guebriano, de quo tam magna nobis promiſerat Card. Mazarinus, audimus nihil. Reformatis hujus Regni Regina

pro-

promiſerat edictorum confirmationem; ſed illi, qualis offerebatur, noluerunt accipere: quia referebat ſe ad posſesſionem hujus temporis. Illi autem formulam volebant eandem, quæ facta erat ſub Regina regente Medicæa, quod multis controverſiis dedisſet occaſionem, quia ex eo tempore multa mutata ſunt. Illi, ut ipſis mos eſt, ſtatim arma ſumſere in Leberinis, ut terrore iſto impetrarent quod volebant. Repoſitus terror terrore, multique per urbem rumores ſparſi ante diem Mercurii, qui precibus publicis cum jejunio ab ipſis erat dicatus; nec hic tantum, ſed et idem dies apud Batavos et Angliæ Puritanos. Plebs ad portas, per quâs redire debebant, concurrerat, Regina et Magiſtratus eam abire jusſerant; misſoque aliquo ex cuſtodibus regii corporis, qui eos Carentoni timere vetaret, ex eo ipſo exortus timor panicus, ita ut gladii pasſim exorirentur, et in ſummo mortis periculo esſet presbyter Veronius, qui ad cognoſcendas penitus controverſias eos coetus ſæpe accedit. Poſtea vênit Dux Mombazonus, qui huic Regioni præeſt, jusſitque, Regis et Reginæ nomine, eos esſe ſecuros. Dux Engolismenſis manet ad tuendum Picardiæ et Campaniæ limitem. Eſt hic extraordinarius a Florentia legatus, et a Venetis alius exſpectatur. Eſt hic rumor, de quo tamen nihil affirmaverim: Guebrianum cum ſex equitum, ſeptem peditum millibus ire Conſtantiam aut Danubium verſus, ejus autem veſtigiis inſiſtere Ducem Carolum ſummo cum imperio, cui parent Mertius et Waertius. Regi Angliæ multum

hic favetur, et propter Reginam Angliæ, quæ hic magni fit, et ne exemplum fpernendi Reges latius ferpat. Ego quoscunque accedo eorum, qui nunc plurimum valent, eis late explico jura Suediæ in Pomeraniam, deinde commendo eis, fi cum Duce Carolo agatur, negotia Crojaci et Comitum Saræpontanorum. Si quid ultra jubear, cum fide exfequar. Hiberni quadringenti venêre in auxilium Regis Angliæ; fequentur, ut puto, et alii; fed timendum eft, ne ea res fectos impellat ad juvandos Parlamentarios. Deus, Illuftrisfime Domine, Excellentiam tuam in profperis rebus diu fervet. $\frac{\text{XVII}}{\text{XXVII}}$ Junii MDCXLIII.

H. Grotius.

Intellexi eum, qui curfori Viennenfi aderat, non a Vienna, fed a Bruxellis, misfum a Pfaltzburgica. Londini detecta conjuratio Regi faventium. Guebrianus Hasficos adhuc retinet; promittitur hic fore, ut dimittantur; fed difficultas et tunc erit in reperiendo itinere. A Parlamento irrita pronunciata funt qualiacunque acta per extra ordinem datos judices contra Efpernonium. Obtulit libellum Parlamento et Elbavius pari fpe. Pontificii milites ferme mille cæfi aut fugati funt. Veneti, fi eos Pontifex excommunicet, minantur nunquam fe abfolutionem accepturos. Caufas armorum fuorum et ipfi, et Ethrufcus et Mutinenfes edidere. Gravis hic ira eft adverfus Parlamentum Thofolatæ, ideo quod tributa quædam vetuit exigi.

XXXIV.

XXXIV.

JOHANNI OXENSTIERNÆ.

Theodonis villæ deditio brevi ſperatur, munitis bene caſtris, capto vallo exteriore, diſpoſitis machinis. XVIII Junii captum eſt lunatum in ipſa foſſa munimentum. Inter id munimentum et propugnacula aggeris, quo oppidum cingitur, pedes intererant CXX; eos tranſière Galli, cepêre quod proximum erat propugnaculum, cuniculos egêre ſub ipſum aggerem. Dux Anguianus, poſt Rocrojanum prælium, et ad adeptum filium marem tertium, hanc, inter exiguum temporis ſpatium, felicitatem, ut ſpes eſt, conſequetur, magno cum ipſius Galliæ et Reginæ regentis decore. Scripſit Rex Hiſpaniam ad Sororem Reginam Regis Galliæ; eas litteras mihi Regina oſtendi jusſerat, ſed nondum eas vidi. Legati ad pacis colloquia ituri, Davauſius et Chavigniacus, majorem ſibi comitatum comparant, quam velit, qui eos ſequuturus creditur, Dux Longovillanus: habebunt XII viros nobiles, pueros nobiles totidem, curſores totidem. Moras nectunt et hi et Hiſpani; utrique enim poſt alteros advenire vellent: quod oſtendit Melonis ad Principem Arauſionenſem epiſtola. Civitatis Collmarienſis, cui pacta per Osſenvillium non recte ſervantur, negotium commendavi res hic adminiſtrantibus; illi promittunt facturos ſe, ne quid reſtet querelarum. Rex Daniæ ſcripſit ad Imperatorem et Principes Germanos,

valde ſe cupere, ut tractetur Palatina res in colloquio communi de pace. Qui hic autem eſt Reſidens Angliæ velit hinc litteras ſcribi ad Regem, oſtenſurus idem hic deſiderari. Francofurti adhuc Auſtriaci et Bavarici nituntur evertere id, quod majori parti viſum fuerat, de mittendis Electorum Principum et Civitatum Legatis ad loca colloquii Wirtembergici; quas ſperabant, opimiores pro ſe conditiones non obtinent. Bavarici libellum vulgant contra ſcriptum Legati D. Roj. Metuunt Cæſariani, ne Hasſici loca ad Moenum aliqua occupent. Mareſcallus Guebrianus creditur exſpectare, dum capta ſit Theodonis villa, ut Bavariam aggrediatur, cum qua minus jam commercii habet Gallia. Unde et Electoris titulo Palatinum ſalutandi, mandatumque habent Davauſius et Chavigniacus agendi Hagæ cum Electore, ut foedus cum Gallia ineat belli arcendi et inferendi, quorum illud Palatinus non recuſabit; hoc vero defugiet, ut pugnans cum imperii legibus et Electorum officio. Idem Legati iidem poſcent a Batavis, quos et ipſos puto non niſi ex parte asſenſuros. Bavaro Ratisbonæ militem ſcribere permisſum non eſt. In Anglia Rex et Regina mutuis conſpectibus redditi ſunt, obtigeruntque eis duo prælia felicia, et in Cantio populorum pro ipſis motus. At Parlamentarii, rebus ſuis malis remedia periculoſa quærentes, Scotos advocant, iisque pro ſtipendio promittunt bona Pontificiorum mancipii jure. Verum in Scotia ipſa non deſunt nobiles, qui Regi magis quam plebejæ potentiæ faveant. Quod

ſi

si ea spes fallit Parlamentarios, creditur Rex iturus Londinum. Dux Carolus adhuc non longe ab Uberlinga est, duabus leucis a Guebriano; dicitur autem Guebrianus damni aliquid accepisse. Motta Odincurtius in Arragoniâ loca capere dicitur; Motta autem in Lotharingiâ exemta obsidio, et ab ejus castelli præfecto imperatum, ne quid hostile in Gallos captetur. Ingolismensis Dux ad Peronam est. Bucquojus ex Bononiensi agro abiit. Beckius in Lutzenburgico est. Dux Guisius optimos reditus Ecclesiasticos in fratrem transferre velit sarcinâ ejus, quam ille in Brabantia duxerat. Comitissæ Bossuciæ, cum in Galliam advenissent, ad Batavos remissæ sunt. Præfecturam Aquitaniæ recepit Espernonius, a Parlamento absolutus. Rex Hispaniæ est Pompejopoli. Dissidia hic inter Matronas principes viros in partes trahunt. Imperium maris retinere aut Bresſæus, qui nunc Fronsacinensis dicitur: ambiunt idem Vindocinensis et Harcurtius. Deus &c.

xxix Julii / viii Augusti MDCXLIII.

H. Grotius.

Ad Theodonis villam diu in propugnaculo ex parte tantum infesso longius procedere volunt Galli; vulnerati ibi sunt multi; Teorius autem, ex cuniculo male dissiliente, interiit, sed et Præfectus Theodonis villæ interiisse dicitur. Melo et Beckius aliquid adhuc pro oppido tentare cupiunt, quam ob causam Duci Anguiano se jungit Engolismensis.

 Mot-

Motta Odincurtius, rebellantibus Ribargerfanis, retro tractus fuit. Pontificis milites Bafignanum ab Ethrufco &c.

XXXV.

JOHANNI OXENSTIERNÆ.

Illutsrissime Domine.

Novis imperiis abesfe non folent in Gallia res novæ. Animos omnium et fermones in fe vertit Dux Bellifortius, filius Ducis Vendocinenfis, die Jovis exacto, clam mane, cohortibus et turmis prætorianis currum antecedentibus, cingentibus fubfequentibus vexillis explicitis, tympanis fonantibus, ductus Reginæ regentis jusfu in arcem ad fylvam Vicennenfem; et cum Cardinalis Mazarinus eo conftituisfet venire, indicia ad Reginam perlata funt, per quæ credidit Bellifortio multisque aliis conftitutum munus injicere in Card. Mazarinum, odiofum multis ob exempla Marcchalli Anchoritani et Cardinalis Richeliaci, quorum veftigiis infiftere creditur. Dux Vindocinenfis hinc abiit. Dicuntur multi fuisfe confilii, aut illius quod dicitur, aut latentis alicujus participes. Eft Vendocinenfis et per matrem et per fororem innexus Lotharingicæ domui, quæ fufpecta ob veteres contra domum Borboniam molitiones, nunc quoque non immemor creditur irrogati exfilii, et comitatis, qua eos extorres coluere Hifpani præfec-

fecti. Sunt ex ea domo Duces Guiſius, Elbovius, Chevrenſius, innexi ſunt Nemoroſius, Montbaſonius et alii: hi pacem quidem cum Imperatore et Hiſpano deſiderant; ſed ſi eam habere posſint, creduntur foederatos Galliæ non multum curaturi. Contra alii putantur omni modo bellum trahere velle, ut ad ſuas utilitates pertinens; de induciis ſermones quidem ſunt, ſed Auſtriaci breves vellent, ut inſidientur occaſionibus, quas Galliæ motus posſunt producere, Galli longas, ut bello captorum recens posſesſio ex tempore auctoritatem nanciſcatur. Patruus Regis creditur in Luparam immigraturus, ut eo propior ſit conſilio publico, vexatus multum articulorum doloribus vectationem ægre ferentibus. Idem Patruus Regis ab affinibus ſuis domus Lotharingicæ expresſit, ut Cardinali Mazarino opem ſuam adferrent, crediturque uxorem, ad quam multi ſiunt Lotharingicorum concurſus, amoturus Bleſam. Eſt autem is Princeps plane in poteſtate Abbatis Reinerii, qui olim Riceliaci, nunc Mazarini Cardinalis beneficiis obſtrictus eſt. Princeps Condæus Lotharingicos non immerito metuit; ſed ſi Cardinalis Mazarinus in multorum incurrit odia, etiam hoc in uſus ſuos poterit vertere. Non poterit non poſthac anxia esſe vita Cardinalis Mazarini, quam ſi cuſtodiâ tueri velit, accendet odia, ſi non, patebit inſidiis. Vetita hic eſt frumenti exportatio. Gasſio vivit, ſed non extra periculum. Levis armaturæ peditibus præficitur Ranzovius. Chavigniacus parat ſe itineri, et per Mazarinum ſperat ſe reditu-

 rum

rum in partem rerum. Antequam Harcurtius in Angliam eat, a Crasſio, qui eo præmisſus eſt, litteræ exſpectantur. Proponunt Galli foedus cum Anglia belli inferendi arcendique; credo fieri posſe, ut ad Palatinatus reſtitutionem, ſi ea per colloquia obtineri non poterit, ſocietas ineatur. Sed ut in Hiſpanum, qui ſemper ea parte Palatinatus, quam tenet, cedere paratus fuit, arma ſumantur, nec Regi Angliæ, quantum ego judico, perſuadebitur, nec Parlamento. Mitto litteras, quas Regina regens ad Regem Daniæ ſcripſit. Velint qui res Palatinas agunt, par officium a Suedis præſtari. Mitto et litteras Electorum quatuor, Moguntiacenſis, Colonienſis, Saxonis, Brandeburgici, ad Regem Angliæ ſuper re Palatina. Brandeburgicus ſe excuſavit, quod plus efficere non potuerit. Iis, qui negotia Anglica, quique Palatina per Germaniam procurant, non ſatisfaciunt hæ litteræ. Mazarinus ad Ducem Neoburgicum ſcripſit, ut eum a conſiliis Weſtphalicæ defenſionis abſtraheret, non, ſi ea ineatur ſocietas, tutiorem eum fore ab armis Gallicis, nec eâ viâ recuperaturum jus ſucceſſionis in Electoratum, quod ei per Imperatorem Bavarumque ereptum eſt. Francofurti disputatur adhuc tum de aliis malis minuendis, quæ Germaniam premunt, tum de judiciis. Nolunt Romanenſes rem perduci eo, ut par ſit ex utraque religione judicantium numerus. Bavarus gaudet interjici has controverſias, quo minus cogitetur de iis, quæ ipſe jure armorum tenet, jactatque ſe de amicitia Gallica. In Judæorum capita ſingula decernetur

tur tributum Floreni Imperialis, ad ſupplenda ſalaria Imperialis Cameræ. Ejusdem Cameræ Præſes Volmarius ad conventum mittitur Monaſterienſem. Conſtat Ducis Caroli copias diſcesſisſe a Bavaricis, et esſe ejus copias in via montana, quæ dicitur, ipſum Wormatiæ, habereque eum in ſua poteſtate pontem navalem, qui Philippoburgi fuit. Hinc creditur ſuſpectus Cæſarianis. A Moguntiaco ſarcinæ mittuntur, Hiſpani autem ſuperſederunt coëmtioni frumentali illis in locis, quod putent, transvectionem Luxemburgicum usque tuto non posſe fieri. Leves aliquæ pugnæ intercesſère inter Marechalli Guebriani milites et Philippoburgicos. Rex Hiſpaniæ creditur Lerdam oppugnaturus. Pontificis milites ex Poleſino agro retro iêre. Trinum adhuc defenditur, habens præſidio equites quingentos, pedites mille et ducentos, propugnacula decem. Dispoſitæ ſunt quatuor locis adverſus id oppidum machinæ. Comitatenſes Burgundi ad Divionem usque excurrunt, creduntur que Bleteranum oppugnaturi. It contra eos Aliccurtius. Hiſpani XII cohortes in Trevirorum oppido poſuere. Non putatur tamen quicquam novi aggresſurus Dux Anguianus, ſed circummuniturus agrum Metenſem, inde asſignaturus hiberna militi. Leges quædam pacis ad Ducem Carolum hinc misſæ ſunt. Chaunius, præter Arvernorum præfecturam, et illam arcis Ambianenſis retinet, quamquam Picardiæ præfectura reddita Elbovio. Schombergius in ſuam ivit præfecturam Languedociæ, ubi ſeditiones timentur, ut et

in agro, qui eſt inter Andegavos et Turones. Sermones fuere de matrimonio Ducis Mercurii, qui alter eſt Vendocinenſis filius cum Ducis Guiſii ſorore. Regina regens pecuniam miſit ad Reginam Angliæ, ferme ad bis centena millia ſcutatorum. Convivium, quod Chavigniacus Reginæ dedit, conſtitit XII millibus Francicorum. Marechallus Guebrianus militem ſuum ſolatus eſt menſis ſtipendio. Famoſorum libellorum magna hic, et in aula, et in urbe, licentia eſt. Deus, Illuſtrisſime Domine, Excellentiæ veſtræ det omnia proſperrima! Excellentiæ veſtræ inſervire paratisſimus

H. Grotius.

Dux Belliſortius, ſub veſperam diei Mercurii in Lupara retentus, ibi noctem egit, mane ſequente ductus in arcem Vicennenſem. Pater ejus Dux Vendocinenſis, quo minus abeat, morbi excuſatione utitur. Uxor ejus rogavit Reginam, ut liceret Belliſortio uti ſuo, quo uti ſolitus eſt, coquo; id ſiniſtre quidam interpretantur. Jusſus eſt ab aula discedere Dux Mercurius, Belliſortii frater. Caſtellinovius, antehac ſigillorum cuſtos, Sanctibarus et alii in villas aut extra regnum; Montresgorius ſe ſubduxit et alii quidam. Campio captus. Agricolis circa tabernas Alſaticas imperatum eſt, ut res ſuas in urbem conferant. Inde fit conjectura, Guebrianum velle ire cis Rhenum. Pontifex brevi habiturum ſe ſperat quadraginta peditum, equitum XII mil-

millia. Respublica Genuensis Pontifici pecunias aliquas dat utendas. In Anglia de classe Parlamenti superiore comes Hotlandus et Bethfordius ad Regem Angliæ se recepêre. Northumberlandius, Pembrokius, Salisberiensis in villas suas, pertæsi insolentiam plebeji ordinis.

XXXVI.

JOHANNI OXENSTIERNÆ.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Apud Reginam regentem fui die Lunæ, ex mandato gratulatus ei sum de prælio ad Rocrojum, sine mandato, re ipsa id urgente, de Theodonis villa. Cum dicerem, indubie Reginam Suediæ, et de hac urbe capta, quæ tanto præsidio, bono præfecto, operibus intus extraque factis defendebatur, propinqua obsessis spe auxilii, et capta intra spatium mensis integri ac dimidii, gratulaturam ipsi fuisse, si rem scisset, interlocuta dixit, nimis longe abesse Suediam, quam ut id brevi fieri possit. Addidi, fidem ipsius de servandis foederibus cum Regina Suediæ non litteris tantum, et quidem binis, sed rebus ipsis patere, tanto prælio pugnato, tanta urbe capta. Addidi, non hæc eo me dicere, quod ipsam a pacis cogitationibus vellem avertere; Christianum esse sanguinem, qui ubique funditur; et paganis quoque dictum, bella non justa nisi quamdiu neces-

sa-

ſaria; laudare me igitur Reginæ bonitatem, quæ non ita proſperis attolleret animum, ut æquæ pacis conſilia abjiceret; velle Reginam noſtram et hanc et alias virtutes ejus imitari, itaque imperasſe, ut ſui irent, et credere me, non multum abesſe a deſtinatis ad colloquium locis Illuſtrisſimum Dominum Oxenſtiernium Baronem, de quo, quum Regina inquireret, dixi esſe magni Cancellarii, quem Regina vidisſet, filium natu maximum. Cum adderem, credere me nec eos, qui in adverſa ſunt parte, alienos fore ab æqua pace, interſata Regina dixit, cauſas esſe magnas, cur eam illi quam nos deſiderare magis deberent: quod approbans, explicavi mala Germaniæ, quæ movere deberent Imperatorem, tanto a Germania honore affectum, ut tot innocentes et miſeros tandem ab his calamitatibus expediret. Regina regens ſumma comitate omnia officia et obſequia Reginæ noſtræ promiſit, idque per me voluit ſignificari. Monui et ſupplementa mittenda Comiti et Marechallo Guebriano, quandoquidem hoſtis ibi esſet multo validior. Ni id fieret, bellum gerendum damno Galliæ aut certe eorum locorum, quæ nunc Galli tenerent, cum alioqui geri id posſet impenſis Sueviæ, Franconiæ et Bavariæ: et ſic accidi vires aut ipſi Galliæ aut ejus amicis ac ſociis nocituras. Ad hoc reſpondit Regina, facturam ſe omnino quod monebam. Biduo poſt adii Principem Condæum, eique gratulatus ſum, et publico et privato affectu, de nepote ipſi, Principe autem Regii ſanguinis Galliæ enato. Præterea de Theodonis villa a Duce

An-

Anguiano captâ, quæ conjuncta cum prælio Rocrojano, felicitatem tantam in brevi tempore efficerent, quanta totius vitæ desideriis sufficeret. Cum venissem ad supplementa mittenda Marechallo Guebriano, et causas late adducerem, dixit id jam decretum esse in consilio, seque non quieturum, donec res esset effecta. Principum Matronarum controversiæ iterum erupêre. Mombasonii uxor oblocuta dicebatur filiæ Principis Condæi, quæ nupta est Duci Longovillano, a Reginâ jussa satisfacere in magno coetu Uxori Principis Condæi matri ejus, quam res spectabat; fecit hoc eo vultu gestuque, ut magis asperare offensam, quam mollire videretur, et ea de re se jactasse dicitur. Regina et Condæa Princeps ad Merendam vocatæ, viderunt, quod non cogitaverant, esse ibi Mombazoniam, questa est ad Reginam Princeps Condæa. Regina Mombazoniam abscedere jussit, ea non abscessit; post id Regina feminam, formâ, et formam amantium numero superbam, ab aula et hac urbe abesse jussit. Res per se exigua mirum in quas partes viros distrahat; accedunt veteres simultates inter Borboniam et Guisiam, id est Lotharingicam domum, ex quâ est fratris Regii uxor, Dux Guisius, Elbævius, et in quam innupta est Chevrensia. Hæc domus, quorum præcipui apud Hispanicas terras receptum habuere, ad pacem properat, et forte nimis. Pr. Condæus ex usu suo judicat filium habere cinctum legionibus. Ipse Dux Anguianus huc veniet, ubi solo æquata erunt, quæ ad obsidendam et oppugnandam Theo-

do-

donis villam facta fuere opera. Francofurti prævalet sententia, mittendos a conventu, qui pacis negotio tractando adsint; interim, qui Francofurti mansuri sunt, tempus trahent in repetenda crambe de oblivione actorum et judiciorum norma. Specialia autem illa circulorum consilia ad sui tutelam ita promoventur ab Imperatore et ejus res agentibus, tum Moguntiacensi tum Darmstadiensi, ut appareat, non tam circulorum in eâ re, quam Imperatoris ipsius negotium verti. Rumor hic est, Electorem Brandeburgicum quendam de suis misisse ad petendam in matrimonium Pr. Arausionensis filiam, quod multi hic velint. Principi Condæo bene jam cum Arausionensi convenit, quia bellum Duci utrique expedit. Mazarinus Cardinalis intra breve tempus apud Reginam Regentem multum assecutus gratiæ; aptus alliciendis etiam mulierum animis, multum laborat, ut Chavigniacum in partem gratiæ reponat. Idem Mazarinus sæpe est cum Chevrensia. In Anglia audimus res Regis satis bono esse in loco, capta Brestolo, loco mari adsito, sed Parlamentarios spem concipere tum de adventu Scotorum ad viginti, ut opinantur, millia, tum de morte Reginæ nunc ægrotantis. Crassius, qui a Regina regente in Angliam missus fuerat, novas dicit ibi ad pacem internam conditiones proponi. Ego nihil melius reperio, quam quæ Residenti Angliæ dixi: debere Regem Angliæ Reginæ Galliæ fidem facere, se, nisi in colloquio, quod nunc de pace instituetur, obtineri possit ab hostibus Palatinatus restitutio, ar-

arma juncturum cum Suedia Galliaque, ut certa ejus rei Regina Regens ea capiat consilia, per quæ pax Angliæ restitui possit in eum modum, quo Rex vetera Regum jura recipiat. Ea de re Residens ad Regem Angliæ scripsit, et probatur idem consilium Principi Condæo Ministrisque hujus regni. Injecit et Pr. Condæus sermonem de primo loco inter Reges, quem suo Regi Suedi vindicarent etiam contra Franciæ Regem. Dixi ego, me non huc missum ut quicquam contra Franciæ Regem disputarem; sed, in Basileensi consilio, palam dixisse Suedos principem locum sibi deberi, et de ea re testationem in acta inseruisse, neque adeo miraturum, qui nôrit, teste etiam Tacito, jam tum vetus fuisse Sueonum regnum, equite, pedite, classe valens; et illustres eorum res, inde profectis duplicibus Gothis, qui Narbonnensem Galliam insederunt, et nunc quoque Hispaniam teneant; unde ortum trahant et Navarræ Reges, et illi, qui in Italia magna cum laude regnaverunt; neque minoris æstimanda regna, quæ electione delata olim fuere, probari Germanorum et Romanorum Imperatorum exemplo. Ille de Gallia nihil fateri volens, ne sibi noceret adversus Anglos et alias gentes serius regnatas, putabat causam nostram non improbabilem. Ex Hispania audimus Reginam ibi plurimum posse, Olivarem ab aula quinquaginta leucis abesse jussum, exercitum in æstivis respirare, Gallorum naves XXX esse Barcinonæ, Rosis, machinis XXXVI, equites CC, pedites MM, sed multum esuriri, et ob id fugi. Terragenæ haberi novem

na-

naves longas, exſpectari a Neapoli ſub Marchione Torrentiæ MMMM pedites, equites MM. Ribagorſæ rebellionem a Gallis punitam; et, obſidibus interfectis, Dux Anguianus Longuiacum obſidet, Princeps Thomas Trinum, capta villa Nova Aſta. Apud Tiricum eſt Beckius, Ingolismenſis apud Virodunum cum octo hominum millibus. Eſt hic quidam a Duce Carolo. Obſervatum eſt, neminem de Lotharingica domo adſuisſe, cum hymnus Te Deum caneretur ob captam Theodonis villam. Regi Galliæ pecunia ſatis magna offertur ſub uſuris annuis viginti nummorum in centenos. Alii ex triginta millionibus pollicentur ſe alituros centum hominum millia. Marolius præfecturam accepit Theodonis villæ. Chavigniacum et Davauſius ante octavum, ut hic numeratur, Septembris non abſcedent. Savedra Hiſpaniæ legatus, qui nuper hac tranſiit, ex æſtu et incommodo itinere Bruxellæ ægrotat, niſi jam mortuus eſt. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{XII}}{\text{XXII}}$ Auguſti MDCXLIII.

H. Grotius.

Bavaricæ copiæ apud Gersbachium ſunt quatuor leucis a Guebriano. Pons mobilis a Briſaco perfertur alio. Ex Brabantia et Flandria in Luxemburgicum multi mittuntur milites. Præfectus regni Neapolitani in carcerem egit Presbyteros, criminum compertos punivit quosdam, quod Romæ non probabitur. In Hibernia magni ſunt procesſus Pontifici-

ciorum, promittunt MD militum ſumtu ſuo ad uſus Regis. Septentrionalis autem pars Angliæ LM adverſus Scotos, ſi adveniant. Briſtola oppidum XVIM Jacobæis direptionem redemit, bimeſtre ſtipendium dat Regis exercitui, et naves præbebit aliquas.

XXXVII.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Theodonis villa Duce Anguiano dedita eſt XIII menſis hujus, cum jam hoſtilis exercitus prope advenisſet, velut perrupturus obſidium. Magnum in hac re Galliæ decus, et quo, ut fieri ſolet, elati nonnulli clamant de pace nihil cogitandum, inſtandum bello tam feliciter procedenti, et legati ad pacem deſtinati aperte moras trahunt. Inter Ducem Carolum et Gallos, ut ſcripſi antehac, nihil ſit hoſtile, et Comitatenſes Burgundi, edocti nihil ſibi auxilii a Duce Carolo exſpectandum, retro nam in Galliam penetraverant, ad ſuos ſe recepere. Marechallus Guebrianus, tentata Rothlingæ et minorum oppidorum oppugnatione, hoſte ſemper ipſius veſtigia premente, interdum ex arcto victu, fine menſis qui exiit, ad Kentrigam vallem receſſit. Diſſimulare tamen non debeo, esſe qui ſuſpectant arcanas cum Duce Carolo conventiones Mazarini,

qui quidem, ut aptus alliciendis animis etiam feminarum, apud Reginam invalescit, sed in magno est odio et Parlamentorum et Cleri Galliæ, qui omnes Episcopum Bellovacensem velint plurimum posse. Magnam et jacturam fecit in Marchione Jevrio, fratris sui filio, qui nunc ad Theodonis villam obiit, omnium consensu dignus qui Marechallus Franciæ fieret. Ducissa Mombazonia, quæ Ducissæ Longovillanæ, filiæ Principis Condæi, oblocuta dicebatur, matri ejus, id est uxori Principis Condæi, in magno conventu illustrium virorum et feminarum, ex formula quam Regina præscripserat, satisfecit. Multi hic sermones de longis induciis; sed in quas, si quid recte judico, minime consensurus est Hispanus. Motta Odincurtius nihil agit, sed otiosum per Catalaniæ stativa tenet militem. Villam novam Asiæ deditam Gallis fama dixerat, nunc hæsitat; et de obsidenda Alexandria in iis locis rumores sunt. Dicuntur Galli ibi habere X peditum millia, tria equitum. Cæsariani, qui ad lacum sunt Constantiæ, ex Tyroli, Stiria vicinisque locis magna accepere supplementa. Papa pecunias, quibus bellum indiget, accipit non parvas a quindecim Italis, quos fecit Cardinales. Veneti delectus faciunt equestres et pedestres. Bellum inter Pontificem et foederatos, contra eos Principes, successus habet varios; ad pacem constituendam et Galli laborant et Hispani. Duci Guisio reddita sunt bona et honores, non aliud nomen sibi sumenti, quam Henrici Ducis de Lotharingia. Castillionæo, qui antehac sigillorum regni cu-

custos fuit, redditur sigillum Sti. Spiritus et præfecturæ quædam. Ducis Anguiani filius, modo natus, Ducis Albroti habet nomen. Comitatenses Burgundi apud Vesontionem esse dicuntur mille et ducenti. Sexcenti apud Dipam sunt Scoti, quibus vestes mittuntur; solent enim venire male habiti. Ex Theodonis villa Hispani aut Hispanis militantes exiere plus mille. Onera multa plebi gravia demuntur, ut super ligno; minuuntur alia Armorici maris imperium cum præfectura Britanniæ istius conjunxit Regina, ac sibi retinet. Vetera Gallis cum Scotis foedera renovata sunt. Deus &c. Lutetiæ XV Augusti MDCXLIII.

H. Grotius.

Sunt qui putant in arcano convenisse, ut Theodonis villa capi sineretur, deinde arma quiescerent; quid de ea re sit, brevi apparebit. Multum in Theodonis villa repertum est victus et instrumenti bellici. Gasſion, qui vulneratus graviter fuerat, revalescit. Elbovius Dux Picardiæ habet præfecturam. Dux Fronsacus, Bresſæi filius, pro maris imperio accipit DM Francicorum, vicariam præfecturam Andegavensis tractus, et jus succedendi in patrios honores. Nova cohors Reginæ movere se incipit versus Ducem Anguianum. Imperator inducias cum Turca prorogavit ad annos octo. Bassa Aligrensis, qui ad oram Asiæ, quæ Constantinopoli objacet, res novaturus venerat, in ipso conatu est oppressus. Miles Pontificis obsidium minatur Mu-

tinæ. Parmenfis Bonderium et Btellatam, quæ cepit in Ferrarienfi territorio, munit diligenter. In Anglia Pr. Robertus Glocefriam, at Parlamentarii in Lincolmenfi territorio Ganisborugum cepere.

XXXVIII.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Venit ad me nunquam vifus, fed fæpe auditus antehac mihi, Marchio S. Chaumontius, clarus et legationibus magnis et ductu militari. Videbatur mihi in id potisfimum venisfe, ut cognofceret quid de pace et matrimonio Reginæ noftræ, quam Electori Brandeburgico nupturam multus ubique rumor eft, fentirem; refpondi ita ut refponderi folet de rebus incertis: a pace non alienos esfe rectores noftros, bona ac tuta fcilicet, cognosfe me ex mandatis fæpe ad me datis. Illud de nuptiis Reginæ obfcurum esfe negotium; compertum tamen mihi, multos in Germania optare eæ ut nuptiæ fiant. Sermonibus multum utrinque variatis, videor mihi hoc ex eo didicisfe, legatos ad pacem hinc ituros quam maxime fero poterunt, nempe ut interim Gallis tempus fit res ex fuo ufu aut difponendi aut præparandi. Dux certe Carolus Boulejum hic habet res agentem fuas, palamquæ vulgat per Germaniam inter

ter se et Galliam convenisse. Res intus hic adhuc satis sunt tranquillæ, nisi quod Dux Chaumius, Luinii quondam præpotentis frater, jussus a Regina regente dimittere præfecturam Picardiæ, ut ea reddatur Duci Elbovio, qui antehac eam habuit, et nunc per sententiam Parlamenti Parisiensis adversus ante perperam judicata restitutus est, non tergiversatur modo, sed sibi addictum militem introduxit in arcem illis locis præcipuam Ambianensem, ac præterea imperio Reginæ, quo in aulam vocatur, creditur non obsecuturus, quæ res, tam nova adhuc Reginæ auctoritate, perquam periculosa est. Mombazonia vero, quæ ad placandam Principis uxorem ac filiam jussa erat excedere, cum in quo erat loco, ab hac urbe non procul, multis procerum, præcipue ex Lotharingica domo, officiis frequentaretur, longius amota est ad leucam quinquagesimam. Dux Anguianus nondum huc venit, et de longo obsidio nihil nunc quidem audimus. Bavarici ad novem millia apud Fortheimium sunt. Guebrianus huc veniet ad nova accipienda mandata. Dux Carolus quatuor adhuc habet militum millia, et se sustentant in Palatinatu inferiore. Regem Hispaniæ audimus adhuc esse apud Cæsaraugustam cum exercitu quindecim millium aut supra; Lamottam Odincurtium Barcinonæ, ubi paret obsidium Tarragonæ aut Rosarum. Ad hunc portum euntes Hispanorum naves quinque intercepêre Galli, depressêre unam. Princeps Thomas Trinum oppidum machinis verberat, cepitque lunatum ante oppidum opus. De

obſidendo etiam ponte Sturæ rumores ſunt, ſed incerti. In urbem Trevirorum Cæſariani ter mille milites injecerunt. Lamboijus libertatem accepit, datis vicies quinquies mille thaleris imperialibus Guebriano, cui id concesſit Regina. Regina videtur, ubi æſtus hi deſierint, itura ad fontem Bellaqueum. Miſit hic in Angliam virum nobilem Boiſium, et, ſi ſpes ibi bene conſtituendæ pacis affulgeat, mittetur eo Comes Harcurtius, et Lotharingica quidem domo, ſed de Gallia inſigniter meritus. Inter Pontificem et ejus adverſarios bellum geritur Marte ambiguo. Valenceus Gallus cum bis mille equitibus, peditibus ſex mille Padum tranſiit ad res Pontificis firmandas. In Anglia res Regis invaleſcunt poſt captum Briſtolium. Cantium ei ſe addidit, et Esſexius, longius quam ceteri providens, proponit pacis conditiones, ut ſacra conſtituantur ad eum modum, quo ſub Eliſabetha fuere: quod Rex non eſt recuſaturus; ut Rex caſtellorum et arcium cuſtodiam habeat et ſacerdotiorum collationem, ut antehac; reſtituanturque in ſuos honores, qui ideo demoti ſunt, quod regias partes ſint ſecuti. Magna pars et ſuperioris et inferioris clasſis non abhorrent ab his conditionibus; ſed civitas Londini, id eſt magiſtratus ibi, contra leges facti intercedunt. Pontificii Angliæ, ſi Scoti adverſus Regem veniant, offerunt ſe contra ituros cum L aut LX millibus. Ea res, ſi nihil aliud, gratiam illis magnam apud Regem parabit. Audimus, et ad novum Caſtellum naves ex Dania appulisſe cum multo apparatu bellico; nunc,

cum

cum Briſtolum in Regis ſit manu, advectiones erunt faciliores. $\frac{XIX}{XXIX}$ Auguſti MDCXLIII.

H. GROTIUS.

XXXIX.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Video plerosque rerum prudentes ita ſentire, Cardinalem Mazarinum, ut, qui per Riceliaci incedat veſtigia, nihil malle, quam ut bellum omni modo trahatur, ut eo occupati Gallorum animi minus otii habeant, de ipſo ut cogitent. Fuit apud me Theodorus Gothofredus, quem Regina adjutorem eſſe juſſit Davauſio et Serviano, ad pacis negotium ituris. Ejus ſermo ſignificabat, retineri debere a Gallia Alſatiam omnem, et regionem Atrebatum; reſtitui in veteres poſſeſſiones Germanos Principes, et eos, qui a partibus noſtris abſtitere, ut Electorem Palatinum, etſi non adjungat ſe Rex Angliæ: quæ omnia ſi jungantur, ferme eſt ut impoſſibilibus annumerentur. Alii mihi locuti ſunt de pactis faciendis Suedos inter et Batavos, ne alteri ſine alteris arma ponant. At perdifficile Batavorum negotium, et quos ibi belli tædet, majus induciis nihil ſperare audent. Interea ingentes accepi a Benfeldio querelas: Marechalli Guebriani exercitum,

quod pridem prævisum fuit, tam diu cessantibus supplementis, coactum cis Rhenum secedere, et quidem in eas terras, quæ de multis solæ Suedis restant in illis regionibus. Est autem omnis licentiæ suetus ille exercitus, ita ut mirum non sit magna sentiri damna a Benfeldensibus, ab Argentorato et ab omni Alsatia. Hac de causa, lectis D. Mochelii litteris, aditum ad Reginam petii. Interim audio cum Duce Anguiano, qui huc in aulam venit, Ranzovium, cui multa hic fidet, et alios expendere, quid de illo exercitu faciendum sit; sunt, qui in montibus Francis apud Comitatensem Burgundiam referendum putant; alii mittendum ad obsidendum castellum quod apud Philippoburgum est; alii vero ostendunt, et in montibus illis parum nunc esse frugum, et circa Philippoburgum magna præsidia obsidionem impeditura; rectius fore, ut sex aut plura millia militum ex Ducis Anguiani exercitu ad Guebrianum accesserint, parte aliqua ad Cæsaris Pictoram missa, attrahere eo hostium vires, deinde alibi transire Rhenum et in Bavariam penetrare. Videturque omnino hoc consilium prævaliturum, nisi rursum clancularia quædam cum Bavaris consilia agitentur, parario Pontificis nuncio. Nam et fama est, Roma huc venturum Cardinalem Biquium, ut Mazarini auctoritatem suâ fulciat. Verine aliquid habeat hæc suspicio an non, et responsa quæ accipiam, et multo magis res ipsæ docebunt. Dixit mihi Gothofredus, esse qui proponerent e re fore, ad firmandam pacem, ut singuli Reges adversus singu-

los

los, qui pacis legibus ſtaturi non esſent, arma ſua pollicerentur. Ego dixi, inter eos, qui ſocii armorum et cauſæ fuerunt, posſe et cuſtodiendæ pacis iniri ſocietatem; at tot cavillationibus ſubjectas esſe pacis leges, ut, illa generalis promisſio ſi ſiat, non posſit non Suedos Gallis et Gallos Suedis facere ſuſpectos: et hoc eo magis, quia facile posſet Galliæ regimen devenire ad homines ſuperſtitioſos et ob id nobis iniquos. Ivere in Epiſcopatus ſuos Bellovacenſis et Lexovienſis et Lemovinenſis Episcopi jusſu Reginæ. Creduntur liberius ad Reginam locuti de Mazarino, quam aures Reginæ ferrent, et motuum timorem incutere ei voluisſe ob captivitatem Bellifortii Ducis. At Regina, terriculamentis non concusſa, nihil a ſe metui dixit præter fulmen et tonitru. In Francofurtenſi conventu labaſcunt Proteſtantes, ceduntque turbæ, nec amplius audent contradicere, quominus et continuetur conventus, cui vicina ad loca Imperator ipſe venturus dicitur, et anteactorum oblivio limitetur per pacem Pragenſem et per decretum Ratisbonenſe, et reſtitutio bonorum, quæ Ducis Wirtembergici ſuere, ad arbitrium referatur Bavari. Illud vero ſatis ridiculum, quod idem conventus ad impendia ſuſtinenda Cameræ Spirenſis adſignat terras, quas Imperator de hoſtibus capturus eſt: cum magno illi tempore et labore, atque etiam fortuna opus ſit ad recuperanda ea, quæ ab imperio fuere avulſa. Trinum adhuc obſidetur. Venetii equites ad Naviundulam mille et quingentos Pontificis equitum interfecêre aut dis-

jecêre, et prædas egêre a locis Bononiam tangentibus. Scoti, ab Anglis Parlamentariis advocati, ad hos novam misêre formulam foederis pro religione et libertate. Eam formulam Angli Parlamentarii propofuêre Synodo examinandam. Synodus eam probavit, cujus judicium fecuturi videntur iidem Parlamentarii. Id fi fit, Rex contra Hibernos ad fe vocabit; ita gemina ex parte vaftitas Angliæ imminet. Bavarici milites partim ad pontem funt Spiræ, partim in Badenfi Marchionatu. Lotharingi in Palatinatu inferiore. Ducis Anguiani exercitus ad pontem cufonum, capto poft Siricum Rodenaken. Engolismenfis manus ad Mofam a Longvio non procul. Melos cum copiis ad montem Hasnafiæ; fuccesfurus autem ei dicitur Carolus Dux Florentiæ. Savedra Bruxellâ abire non vult, priusquam Galli legati Bruxellâ difcesferint: id erit fub finem menfis hujus. Gasfio hic exfpectatur. Chevrenfia in Turonenfem fecesfum abiit. Hifpani quidam circa Guifam adparuêre. In Normannia feditionum quædam funt femina. Motta Odincurtius nihil agit. Cum quatuor millibus Neapolitanis venit in Hifpaniam Picolominæus. Lambojus, cum Ducem Bellifortium tanto cum ftrepitu tubarum et tympanorum in carcerem duci videret, obftupuit, dixitque concidisfe fpes Hifpaniæ et Viennæ, conceptas ex pupillari Regis Galliæ ætate, cum mater recenti adhuc fuo imperio tantum facinus auderet. Verborum quædam acerbitas fuit inter filiam Ducis Aurelianenfis et uxorem Condæi Principis, et multi

li-

libelli jaciuntur contra Cardinalem Mazarinum. Multi alias rerum mutationes augurantur, ægre toleraturis Gallis tam cito potentiam hominis externi, latentis ſub muliebri perſona. Duci Bellifortio ablati ſunt domeſtici ejus, qui apud eum in carcere fuerant. Deus &c. Lutetiæ $\frac{IX}{XIX}$ Septembris MDCXLIII.

H. Grotius.

Venit ad me Tracyus, Commisſarius Regis ad exercitum Marechalli Guebriani. Omnia dicta et facta tum D. Mokelii tum præfecti Benfeldiani ſiniſtrorſum rapit. Mos eſt Gallis ultro queri, ubi injuriam intulêre. Jam quatriduum eſt quod aditum ad Reginam poſtulo, ſed differor in futurum Martis diem. At Catalani heri auditi ſunt. Regina diſtulit edere cauſas capti Bellifortii in diem usque S. Martini, quo die plenus eſt Parlamenti conventus. Bavari Wilſtadæ munimenta detrahunt. Turcica clasſis vaſtat oram Campaniæ. Pontificii milites Poluſellam, Lantenanum, et alia loca infirma Venetici juris cepêre, et caſtellum conſtruunt ad Lacum obſcurum. Diruerunt iidem in Mutinenſi territorio municipium S. Cæſareum. Hetruſci montem Coloniæ ceperunt; eſt eorum exercitus XV millium peditum, mille quingentorum equis merentium. Gloceſtrum Rex Britanniæ obſidet octodecim equitum millibus; quinque alia millia apud Reginam ſunt Oxoniæ. Parlamentarii Angli Londinenſes Magiſtratus jusſerunt

runt cives uno prandio aut coena, ſeptenis diebus, abſtinere, et quantum id conſtitisſet dari publico.

X L.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Dux Vindocinenſis et uxor ejus ex jusſu Reginæ regentis abiere. Dux Bellifortius adhuc in carcere eſt Vicennenſi. Campio, qui in carcerem ductus dicebatur, fugâ id maturâ intervertit; amandati multi, Mombazonia remota longius, Chevreſia quoque diſcedet. Diſcesſit Caſtellonovius. Cauſæ harum mutationum non vulgantur, ſed plerique ajunt, cum Rex ægrotaret, atque etiam cum jam fato functus esſet, Reginam ſemet et liberos ſuos commendasſe in fidem Vindocinenſis liberumque ejus, multaque dedisſe animi in ipſos ſingularia indicia. Nec alios calidius laborasſe pro Regina, ut ad eam ſolam regimen regni perveniret. Nunc vero cum percipiendi esſent iſtorum officiorum fructus, poſtquam omnes alii, qui reſtituti ſunt, aut veteres ſuas præfecturas aut novas accepere, vident iſti ſolos ſe esſe ſine honoribus. Nam Britanniam Armoricam, quæ Vindocinenſis præfectura fuerat, ſibi retinuit Regina, ideo quod ei diceretur, non ſine periculo provinciam fore in ejus manu, qui ex materno ſanguine jus ſibi in eam esſe diceret. Maris imperium, quod Re-

Regina in compenſationem ejus præfecturæ Vindocinenſi deſtinaverat, quominus ad eum perveniat, obſtat Princeps Condæus et Dux Anguianus faventes affini ſuo Bresſæo, Duci Fronſaci, qui illud imperium nunc obtinet. Hic dolor juvenem elati animi ad conſilia præcipitia egit. Cardinalis vero Mazarinus, quo tempore accepit ſtructas ſibi inſidias, domi ſe ſuæ continere non auſus eſt, ſed in Luparam ſe recepit. Et nunc effecit, ut Chavigniacus a legatione exoneratus hic manere jusſus ſit: itaque Chavigniacus comites, quos præmiſerat, revocavit, crediturque recuperaturus eam, quam ante habuit, dignitatem. De his duobus foederati quod querantur non habent: ſed alieni ſunt a pace uterque ex Cardinalis Riceliaci præſcripto; dicunt bellum externum remedium esſe pro motibus internis: alii putant fieri posſe, ut et durante bello externo civile aliquod erumpat, ex metu ferme omnium, ne acerbus ille Riceliaci dominatus per diſcipulos ejus reducatur. Ducem Anguianum audimus iturum, ut ſe cum Marechallo Guebriano, qui partim citra partim trans Rhenum copias habet, jungat, pariterque Germaniam invadant, ac jam eo præcesſit Ranzovius, primum agmen ducens. Contra Dux Carolus, deſperans ea ſe hic adipiſci posſe, quæ voluit, peditatum ſuum et partem equitatus ad Moſellam miſit, ut ſe cum Beckio jungant, partem autem equitatus alteram addidit Merciaco, qui Guebriani motus obſervat. Imperator ipſe ad exercitum, qui in Bohemia Moraviaque eſt, iturus dicitur, ut

no-

nobilitatem Hungaricam eodem trahat. Francofurtensem conventum idem Imperator trahi vult, annitente Bavaro, qui causam Palatinam ibi tractari mavult, quam in conspectu Europæ totius, id est Monasterii et Osnabrugæ. Placuit majori parti istius conventus, ut anteactorum oblivio normam acciperet a pace Pragensi, et constitutione novissima facta Ratisbonæ. Contradicunt Protestantes, quamquam sententiis victi. Princeps Condæus ultro proposuit persolvendas Duci Aurelianensi pensiones regiæ liberalitatis ejus temporis, quo extra regnum fuit, assentiente Mazarino. Ita illi duo eum Principem sibi obstrinxere. Siricum et alia ad Saram loca in potestate sunt Ducis Anguiani. Melos ab Electore Coloniensi accepit copias Cæsareanas, quæ in illis erant locis; sunt autem supra tria millia: eos ad Mosellam exspectat Beckius. Corpus Comitis Suessionensis Galeonem perlatum est. Sunt qui hic proponant, ex sale posse a Rege percipi XXV milliones. Dux Ingolismensis inter Mosam et Mosellam aliquid habet copiarum. In Hispaniam advenisse dicitur minor classis Americana. Rex Hispaniæ adhuc Cæsaraugustæ est, Motta Odincurtius Barcinonæ apud classem. In Tarragonam mari illata sunt alimenta. Omnibus in Italia foederatorum copiis imperat Parmensis, et de pace Mantuæ agitat, non sine bona spe obsidet adhuc Trinum. Marechallus Guebrianus pontem navalem in Rheno habet inter Argentoratum et Benfeldum. Bavaricus exercitus sex millibus major est Guebriani exercitu,

apud

apud Offenburgam ſe tenens, cepitque Oberturcham. Beckii exercitus pecuniam accepit in oppido S. Viti. Dux Guiſius, Dux et Par Franciæ, in Parlamento receptus eſt. Qui pecunias regias tractarunt, decem milliones dabunt Regi, mutui nomine, ut a peculatuum poenis ſe eximant. Regina donationes ad quingenta ſcutatorum millia a ſe factas revocavit ex conſilii ſententia. In Hybernia induciæ in annum factæ ſunt; conjecti Dublini in carcerem, qui Regi adverſati fuerant; exemti carceri, qui Regias partes foverant. De Parlamento Anglicano non tantum Proceres diffluunt, ſed et plebejus ordo ſcinditur. Londinii civitas per ſe tutelæ ſuæ proſpicit. Scoti venire cunctantur, quia pecuniæ illis non præbentur ab Anglis. Regii, qui Glocestriam intraverant, dejecto ponte penſili ne plures intrarent, interfecti ſunt. Non obſtitit tamen id damnum, quo minus Regiæ partes invaleſcant.

Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{IX}}{\text{XIX}}$ Septembris MDCXLIII.

H. Grotius.

Chavigniacus erit in conſilio arctiori, nomine Miniſtri Status. Ejus loco in Germaniam ad pacis negotium ibit Servianus, qui in Italiam erat iturus. In Italiam vero ibit Marchio S. Chaumontius. Episcopus Bellovacenſis qui in conſilio erat arctiore, et Lexovienſis qui multum in aula valuit, abeunt, jusſi an ſponte incertum. Dux Anguianus Longvium obſidet, nec ſatis liquet ſitne ultra iturus.

Da-

Dani a Batavis liberum ad Dunquerquam aditum expetunt. Neapoli ad difficiles dilectus edictum est sub poenis gravibus, ne quis exteris militet, sub quo nomine comprehenditur et Pontifex. Is arma et nautas misit ad instruendas naves longas, per quas obsistat Venetis et Hetrusco. Centum et quinquaginta Scutatorum millia misit Bononiam ad militis stipendia. Aula Hispanica lugubres vestes sumsit ob mortem Galliæ Regis, exhibetque ei honores mortuis solitos. Regii in Anglia et Glocestriam obsident et Barstapulum. Audimus Macauntem in Sina applicuisse se partibus Portugalliæ Regis; Filium Regis Monomotapæ in Africa ad Oceanum ad fidem Christianam conversum per Dominicanum ex gente Lusitana. Sancti Germanus, Gallus qui pro Regina Medicæa contra Riceliacum scripsit, huc venit, et a Mazarino Reginæ Regenti commendatus est.

XLI.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

Illustrissime Domine.

Adhuc differtur meus ad Reginam aditus, et speciosum prætextum dat Reginæ valetudo, corrupta per animi ægritudinem, dum sentit insuetum sibi grave hoc imperii onus, et, si uni credat, multos æmulos, si modo hunc modo illum sequatur, futurum

rum, ut mutuo ſe evertant conſilia, non ex eodem propoſito procedentia, et monſtrum pariant difforme. Card. Mazarinus, quantum judicare posſum, rem faciet in Gallia, et, ut facere posſit bellum, trahet; ubi inſurgentibus undique odiis parem ſe non putabit, ibit Romam fruiturus ibi partis, Gallos autem inſitæ mobilitati puniendos relinquet. Comes Harcurtius jamjam in Angliam iturus eſt; in mandatis habet hæc tria: ut vetera foedera renoventur, ut Reginæ Angliæ præſtentur quæ in pactis ſponſalibus comprehenſa ſunt, ut pax interna in Regnis Britannicis reſtituatur: cui rei ut via ſtruatur, præmisſus in Angliam Crasſius apud Parlamentum multa declamavit contra Hiſpanicam factionem, volens credi etiam inde profecta, quæ Reginam regentem Galliæ adegisſent, ad dandum in cuſtodiam Bellifortium. Marechallus Guebrianus ſcripſit ad me, litteris defendit ex militiæ more quæ circa Benfeldium acta ſunt. Dux Vindocinenſis non ſine periculo ægrotavit, ſed revaleſcere dicitur. Princeps Condæus ex regni hujus, qui nunc ſunt, fructibus promittit, ſe aliturum centum peditum, equitum V. XX millia. Francofurti, accedente Imperatoris auctoritate, plane prævaluit ſententia, quæ conventum, qui nunc ibi eſt, ibidem manere vult, non nimium longo intervallo a Monaſterio et Osnabruga, ut ajunt Cæſariani. At Proteſtantium res reliqua eſt in Suedis, quos putant non acturos de pace, niſi audiantur omnes, qui in Imperio ſunt Germanico, et bello aut pace læſos ſe queruntur.

F Ma-

Major pars Bavaricarum copiarum in Marchionatu eſt Durlachienſi. Pons a Spira Druſenhemium transfertur. Dux Carolus, deſperata cum Gallis conventione, et Wormatiâ ſuos evocat, et ad Bambergam ſe locat. Quædam ejus copiæ Cruſenacum præteriisſe dicuntur. Dux Anguianus hic eſt, et conſtituit non abire, niſi acceptâ pecuniâ. Engolismenſis paululum a Moſa diſcesſit. Ranzovius vicarius eſt Ducis Anguiani, et ſpe lætatur Marechallatus Franciæ. Basſompetra ductum Helvetiorum, quem olim habuit, recuperavit. Lambojus in libertate eſt, perſoluturus XXV millia ſcutatorum Guebriano. Rex Hiſpaniæ cum XXV hominum millibus ire creditur in obſidium Leridæ; contra eum ire Motta Odincurtius, cui rumor tribuit quater mille equites, peditum millia quatuordecim. Trinum audimus prope deditionem esſe. Helvetii, qui Galliæ foederati ſunt, pecunias hinc aliquas accepere. Marchio Bresſæus cepisſe dicitur ſex naves Hiſpanicas a Genua venientes. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{XVI}}{\text{XXVI}}$ Septemb. MDCXLIII.

H. GROTIUS.

Dux Engolismenſis creditur ſuccesſurus in ductum exercitus, quem habuit Dux Anguianus, qui hic manet, et præfecturam velit habere Languedociæ, data Scombergio, qui eam obtinet, compenſatione. Caſtilionæus autem pro Engolismenſi Picardiam dicitur cuſtoditurus. Ex Italia diſcimus, Ciſternam op-

oppidum obsessum a Pontificiis, liberatum obsidione per Ethruscos. Hos nunc esse ad Majonam; Pontificis milites ad Perusiam. Ex Anglia, Glocestrum brevi in potestate Regis fore. Hottamos patrem et filium a Parlamentariis in reatu constitutos, quod Regi favisse credantur. Eadem de causa a Duberniensibus datum in vincula præfectum. Multam supellectilem, missam a Warwicio, Caletum advenisse.

X L I I.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Regina adhuc uterica est ex ægritudine quadam, ut creditur, animi. Duo nobiles domestici domus Vindocinensis in carcerem conjecti sunt, ut aliquid illis exprimatur contra ducem Bellifortium, qui in carcerem conjectus fuit ex suspicionibus; neque enim testimonia erant ad manum. Nojenus munus quidem, quod habuit, non recuperavit; sed et in urbem venit, et Reginam salutavit, et ædificiorum, atque etiam monumenti, quod Regina vidua Regi marito factura est, curâ fungitur. Favet ei Ecclesiasticorum, sed magis Monachorum, præcipue Jesuitarum ordo. Dux Aurelianensis nunc Blesis est. Postulavit sibi præfecturam Campaniæ et arcem Viridunensem, at non obtinuit. Nec magis Princeps

 Con-

Condæus Languedociæ præfecturam, pro ea quam Burgundiæ habet. Inter Languedociam et Aquitaniam eſt regio, dicta nunc Rovergiaca: ibi motus ſunt contra Publicanos, et a ſeditioſis etiam oppida obſidentur oppugnanturque machinis. Non puto tamen malum fore diuturnum, ſi non adjungant ſe ex Principibus illi, quibus præſentia, ut ſæpe hic fit, diſplicent. Davauſius ab urbe quidem abiit; ſed in villis ſubſiſtit. Intra non multos dies ſequuturus dicitur Servianus. Inquiſitio fit in eos, qui frumentum e Gallia deportârunt, quia caritas victus inde orta facile paritura erat ſeditionem, etiam in hac urbe. Bavarici apud Coroni Urſiburgum ſunt. Dux Anguianus cum XII millibus procedit. Velim quidem, ut eos tradat M. Guebriano trans Rhenum remeaturo; ſed vereor, ne cupiditas obtinendi aut Trevirorum urbem, aut oppida Comitatus Burgundiæ obſtet. Cardinalis Mazarinus domum ſibi ſumſit proxime eam, in quam Regina jam migravit, relictam Regi a Riceliaco; et cuſtodia, quæ erit ad hortos regios, attinget ipſius januam, et ſic ipſius quoque ſecuritati conſulet. Dux Carolus hic iterum tentat vias concordiæ, non ſine ſpe, ut multi autumant, ſuccesſus. Epiſcopus Bellovacenſis non vult amicos ſuos laborare ut huc redeat, ſicut quibusdam Epiſcopis redire permisſum eſt; dicit enim, ſe, ſi redeat, easdem dicturum, quas antehac dixit, ſententias, nempe contra nimiam unius auctoritatem. Inter quindecim, quos nuper Papa fecit Cardinales, ſunt aliquam multi, qui latini ſermonis,

in

in quo tamen ſacra celebrari volunt, nihil plane intelligunt. Francofurto audimus Comitem Kevenhullerum, qui princeps futurus eſt legationis Cæſareæ, non profecturum, priusquam profectum hinc Ducem Longovillanum intellexerit. Bavarum ſe jactare de amicitia Galliæ, habere cum in armis XIV millia. In Anglia ad Neubarium æquali prope Marte pugnatum, niſi quod Esſexius in loco prælii manſit; occubuisſe dicuntur hinc et illinc quatuor millia. Abiere hinc Rhotomagum, itura inde in Angliam, arma pro XII millibus militum. Intellexere hoc Parlamentarii, et pecuniam hinc ad Regem Angliæ ire ad bis centena ſcutatorum millia. Eas ob cauſas deliberatum fuit de honoribus Harcurtio habendis aut negandis. Placuit tamen eum honorifice excipi, prævalente in id procerum ſententiâ. Placet hic, quod Danus ſcriptis ad Francofurtenſem conventum litteris oſtendit, non ſperandum, ut Palatina cauſa alibi, quam in conventu Monaſterienſi et Oſnabrugenſi, tractetur, cum non alio tendant tanto labore obtentæ pro legatis ejus itineris litteræ. Marechallus Caſtilionæus Guiſam ivit. Trinum in poteſtatem Gallorum venit XXVII Septembris. Exiere pedites mille, equites quadringenti. Ea acquiſitio et Caſale reddet tutius, et navigationem Padi in iſtis partibus. Ducis Caroli copiæ ad Moſellam ſunt in fine Lotharingico. Hetruſci Ciſternam adhuc obſidere dicuntur, Lacum obſcurum Veneti. Rhæti autem iter permittunt quatuor militum millibus, ituris in militiam Veneticam.

cam. Rumor quidam hic eſt de victoria Portugallorum, ſed quæ emta ſit Albuquerquii morte; verum nihil in eo certi reperimus. Qui in Cataloniam venerant Hiſpani retro in Arragoniam veniſſe dicuntur trans Zineam amnem. Motta autem Odincurtius, qui inter Fragam et Leridam ſe tenuerat, in eodem amne pontem feciſſe, ut in Arragoniam et ipſe eat, hoſtique inſtet, acceptis ab aula centum ſcutatorum millibus, quæ Rex privatis in Gallia debet; eorum ſolutio ſuſpenditur, agiturque de exigendo donativo ob Regis novi adventum ab omnibus, qui in publicis ſunt functionibus. Dux Espernonius ivit ad comprimendum motum illum, qui in Rovergia eſt. Locutus mecum erat Davauſius, quaſi crederet Suecis ſatisfieri in pace poſſe eis relictâ Pomeraniâ, ſed dixi, jus pignoris eſſe individuum, ne populos quidem paſſuros ſcindi regimen. Sermones hic ſunt de matrimonio Principis Walliæ, id eſt Angliæ primogeniti, cum Ducis Aurelianenſis filia valde diviti. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{xxx VII}^{\text{bris}}}{\text{x VIII}^{\text{bris}}}$ MDCXLIII.

H. GROTIUS.

Apparet ex mandatis, quæ data ſunt Dno Gothofredo, Gallos Palatinæ cauſæ obtentu uſuros, ut ipſi Lotharingiam obtineant: *ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam continuo.* Audimus conatus Cæſarianorum in Uberlingam fuiſſe irritos. Papam, acceptis novis militibus Helvetiis bis mille, et

ex

ex Monteferrato feptingentis, fperare habiturum fe tres exercitus, Viterbii, Perufii, et ad locum qui Caftelli habet nomen. Mottam Odincurtium, defperato Zineæ tranfitu, nulla re facta, rediisfe Barcinonem. Zuthamptonum in Anglia obfideri a Pr. Palatino Mauritio. Hullum eminus claudi a parte copiarum comitis Novi Caftelli. Majorem enim partem esfe in iis locis, in quibus Scotis præcludere posfent aditum. Arcem Somerfetam captam a Parlamentariis. Accepi litteras Exc. Veftræ, datas x Septembris, de eximendo a malis Benfeldio, et augendo exercitu Guebriani mittendoque trans Rhenum; tantum feci, quantum meæ fuit poteftatis. Videbimus quid fit eventurum. Res Galliæ femper miras habent latebras, nunc eo magis, quia in Siculi funt manu.

X L I I I.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Reginæ valetudo procedit in melius. Dux Aurelianenfis et Princeps Condæus rebus adfunt. Dux Anguianus eft ad Tabernas Alfaticas. Supplementum, quod M. Guebriano datur, non erit quantum fperaveramus, quater mille pedites, equites bis mille. Litteræ Card. Mazarini, Romam ad amicos misfæ, interceptæ funt prope Lugdunum ab homi-

nibus perſonatis. Seditio Rovergiorum adeo non quieſcit, ut in Arvernos ſe promoveat. Abiere legati ad pacem lento per terram itinere, et in Batavis negotia reperturi non quam putant facilia. Abiit etiam Theodorus Gothofredus iter mari ſumturus, relicto hic ſcripto quod in vulgus ſpergatur, cujus exemplum mitto. Id eo pertinet, ut ii, quorum hic res ſunt in manu, qui e re ſua putant bellum ducere, culpam pacis tardatæ in alios rejiciant, ut hic facere ſolent. Bavarici Rhenum tranſiere; ſequuntur eos Lotharingici. Videntur hyberna quæſituri in Franconia et Suevia. Exſpectant auxilia ab Harsfeldio, et ex iis præſidiis, quæ in Brunswicenſibus terris fuere. Ad conventum Francofurtenſem rediere légati Wirtembergici; adfuturi jamjam etiam putantur Brunswicenſes et Nurembergici. Tupadelius ad Hagenoam usque fecit excurſus. Reviviſcunt vetera conſilia de danda Lepoldo præfectura Belgicæ, quæ ſub Hiſpano. In Anglia nobilis Montacutius a Parlamentariis captus eſt Roffæ. Fuerat is abſens damnatus a Parlamentariis, receperat ſe in Galliam, inde venit non in comitatu Comitis Harcurtii, ſed disſimulato habitu; cum eo venisſet, addidit ſe Gresſio, qui ab itinere ad Regem erat præmisſus. Audimus Regem Hiſpaniæ rediisſe Madritum; a Piccolominæo obſideri Leridam. Papa ægrotat et Bavarus. Hunc viſum ivit Lotharingus. Saradeskius cohortes aliquas fert ad Bavarum. Caſtillionæus Marechallus apud Verbinum ſex habet millia. Agitur de reſtituendo commer-

mercio Hiſpaniam inter et Galliam. Noyerius noluit ceſſionem perſcriptam dare de eo munere, quod antehac obtinuit, ſperans aliam aulæ converſionem ex ſuo uſu. Reginæ, ad impenſas domus ſuæ ſuſtinendas, dari reditus Britanniæ Armoricæ, ditionis Alençonienſis, et Borbonici. Marechalli Franciæ futuri putantur Vicicomes Turenæ, ducis Bulionii frater, et Gaſſio. Duos milliones annuos Rex lucri facturus ſperatur. Dicitur in Africa Tingi Portugallorum Regi acceſſiſſe. Breſſæus autem partim cepiſſe, partim incendiſſe tredecim Uticenſium prædonum naves. Qui in Rovarguia motus concitant Rodas oppidum cepiſſe dicuntur. Briſaci qui ſunt milites queſtus ſuos nuper huc mandavere. Tranſivere Bavarici ad Spiram, ubi eſt pons eorum navalis. Deus &c. $\frac{XIV}{XXIV}$ VIII^{bris}.

H. GROTIUS.

Sunt hic quidam a Landgravio Darmſtadienſi; eſt hic etiam quidam a Duce Carolo. Libelli jactantur contra Cardinalem. In Armaniaco tredecim Publicani a plebe occiſi. Valeſius, nobilis domeſticus Bellifortii, in palatio captus; paullo poſt dimiſſus eſt et longe abire juſſus. Ipſe Dux Bellifortius a Parlamento judicari vult. Chevreuſia et Mombazonia longius abire juſſæ. Dux Longovillanus in Normandiam it. Cardinalis Medicæus dicitur paratis jam exercitibus uti velle, ut ſe Papam creari faciat, ubi Urbanus deceſſerit. Dicitur Piccolomi-

næus habere XX millia hominum, et duos pontes in Cinea amne. Rex Britanniæ dicitur recepisse Readingam.

XLIV.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Regina regens plane convalescit. Jussit recedere ab aula Lemovicensem Episcopum, qui ob negotia huc venerat, quanquam is propinquus est Seneusiæ, quæ inter foeminas circa Reginam primum obtinet locum. Ducem vero Vindocinensem prohibuit ab omni litterarum nunciorumque commercio in urbe et aula. Interim et Elbovius, qui Vindocinensis sororem duxit, multum adest Duci Aurelianensi, et illius uxor hujus uxori. In Card. Mazarinum multi jaciuntur quotidie libelli. Dicitur mille sexcentos homines habere in opere Romæ, ad augendas, quas a Bentivoliis emit, ædes. Pecunia pro Gallis Basileam advenit. Bavarici pontem adhuc ad Spiram custodiunt, ut et ipsis et Lotharingicis ultro citroque ire liceat. Johannes Wertius copias suas auget, vulgatque, se sub ver iturum in terras hostiles. M. Guebrianus ad duodecim jam creditur habere millia; quo iturus nondum scitur. Manet adhuc is, qui Francofurti est, conventus, exspectaturque reditus legatorum a Brunswico et Norimberga. Spirensium judicum collegium laborabit, ut sibi extra bel-

bellum esse liceat; classem augent et Hetruscus et Barbarini. His adsunt Melitenses. Etiam terrestres copias Hetruscus auget. Causæ, quas habent Parmenses et Mutinenses, exiguæ sunt. Venetorum magnæ etiam crescunt. Cepere hi Fanum, ad mare oppidum; Barbarini arcem S. Justini et alias. Pons Sturæ adhuc a Gallis obsidetur, defenditurque a militibus non plus quadringentis. Habet adhuc Comes Guebrianus pontem navalem ad Reinaviam, putaturque Dux Anguianus hic futurus intra viginti dies. Dux Carolus Wormatiæ est. Melos ad Hainaviæ Montem. Beckius in Luxemburgico, multum se fecisse existimans, quod eam terram et Treviros et Longviacum ab hoste servaverit. Erlachius apud Uberlingam molitur aliquid. Inter parsimoniæ, quam res hic requirunt, reperta, et hoc est, quod militia Regia acciditur ad XXII Equitum, sexaginta peditum millia, extra præsidia necessaria et Germanos; accipient equites septena, sena pedites quotannis, stipendia in menses promissa. Emta per Campaniam locaque vicina equis pabula pretio LXXes mille Francicorum. Etiam de hybernis leges innovatæ. Nuncius qui hic est Pontificis Grimaldus, factus a Pontifice Cardinalis, galeram a Regis manibus accepit. Brevi hic habebimus ex Polonia legatum, veterem Mazarini amicum. Vacherius nobilis abire ab aula et urbe jussus, ideo quod Castellonovium, Custodem quondam Sigillorum, qui duodecim hinc leucis abest, inviserat. Angliæ portus occlusi sunt. Causa esse credi-

ditur seditio aliqua Londini aut alibi orta. Lerida nondum obsidetur. An vera sint, quæ de Badaco urbe obsessa et clade ibi Castellanorum nunciata fuerant, dubitatur. Sed augetur in Portugallia numis precium, ut aurum et argentum ex Castella vicinisque locis ac regnis eo attrahatur. Ab Hispania naves divites in Portum gratiæ venêre sub Anglicanis vexillis. Et Dux Aurelianensis et Pr. Condæus de novis præfecturis adipiscendis adhuc cogitant. De Ducis Aurelianensis filia collocanda in matrimonium Ducis Mantuani rumores sunt. Scotorum sex millia de viginti promissis in Angliam venêre; et quia pecunia, quæ foedere ipsis promissa erat, in præsens solvi a Parlamentariis non poterat, traditum Scotis pignoris vice Barvicum in limite. Quæ ad Hoxterum et alibi aguntur non commemoro, quia aliis ea sunt propiora. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{XXI}}{\text{XXXI}}$ Octobris MDCXLIII.

H. GROTIUS.

Melo ipse a Montibus Hainaviæ Bruxellas venit. Pr. Thomas hic exspectatur. Editur vita Ducis Montmorentiaci. Regia classis sub Bressæo est ad Stechadas; Dux Anguianus cum sexaginta nobilibus Argentorati. Nojerius legationem in Italiam expetit, sed non obtinuit. Card. Rosettum, qui Coloniæ est, ob pacis negotium suspectum sibi, ajunt Galli. Princeps Casimirus Lorettæ habitum sumsit Jesuitæ. Ingens est Hispanorum exercitus in Catalo-

lonia. Portugallus ad Eboram eſt. Eadem gens in Gallæcia Valverdam cepisſe dicitur. Hetruſci et oppidum Cellam cepere et Peruſiam premunt. Parmenſis Bonderium munit magnifice. In Anglia Princeps Mauritius Dartmuthum cepit. In inſulis Jerſei et Gerneſei multum pugnatur inter Anglos Regios et Parlamentarios. Montacutum Regina Galliæ Regens, ut a ſe misſum reddi ſibi cupit, idque per Harcurtium ſignificavit; ſed recuſant id Parlamentarij, dicentes eum damnatum a Parlamento, Rege conſentiente.

X L V.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUTSRISSIME DOMINE.

Quæram mihi aditum ad Reginam nunc valentem rectius, ut duo mihi mandata ſimul exſequar, gratulationem de Theodonis villa, et fidem noviter firmatam de regnorum foederibus. Curabo etiam ad Card. Mazarinum litteras, cui Regina nunc turmam optime armatorum Equitum dedit, ad ipſius cuſtodiam, non ſine cauſa: cum, quantum ejus creſcit potentia, tantundem creſcat male ei volentium numerus. Bellovacenſi Epiſcopo Cardinalatum ſe libenter daturum dixerat Papa, obiter etiam conquerens, quod eam dignitatem dedisſet Epiſcopo Lugdunenſi et Mazarino, non ſponte ſed coactus: verum Regina Regens ſermonem poſthac de Bello-

va-

vacenſi Romæ fieri noluit, revocato etiam, qui in id misſus erat, Mareſcotto. An Rhenum tranſierit exercitus Guebriani, qui hic dicitur esſe XVII millium, at non tantus eſt, nihildum habemus comperti. At Bavarus magnos dilectus facit: copias ejus audimus esſe trans Rhenum inter Durlachium et Heidelbergam; cis Rhenum vero inter Wormatiam et Crucenacum. Lotharingicus præfectus Francodaliæ monuit ruri habitantes, ſua omnia ut in oppidum conferrent. Moguntiacenſis Elector munit Gernsheimium, et videtur ibi ad tempus ſedem poſiturus. Truemullerus ad Nicrum rediisſe dicitur, impeditus per Hasſios, quominus ſe cum Hatzfeldio jungeret. In Italia Hetruſcus Princeps Matthias cum Valencæo Gallo Piſtorium obſident. Mutinenſis a Venetis auxilia accepit, et in Bononienſem agrum irrupit. Parmenſis, unde belli ortum eſt initium, ſolus ſe quietum continet; maluitque Bondenum et Stellidam, loca Venetis opportuna, derelictui habere, quam Venetis ea tradere. Ex Hiſpania hæc habemus. Mille et quingentos Siculos mari advenisſe, qui Arragoniæ ſuccurrant. Philippum Silvam cum octo peditum millibus, equitum duobus millibus, et ultra ire contra urbem Monſorum. Clasſem Gallicam, ad frumentarias inſulas ſumtis aquis et aliis rebus necesſariis, apparere apud Carthaginem Hiſpaniæ; clasſem vero Hiſpanicam ſub Martino Carolo Gades ivisſe, reficiendis navibus. E Valverdâ Portugallis deditâ exiisſe ſeptingentos pedites, equites trecentos. A Rege Portugalliæ Castel-

tellanos evulgatis libellis ad defectionem invitari. Valverdæ detracta munimenta, obſidionem vero oppidi Badajos derelictam a Portugallis, ob ſuperventum ingenti numero Caſtellanorum et Andaluſiorum. Reginam Hiſpaniæ, ut oſtenderet ſuam in iſta regna fidem, obtulisſe ſuam operam Regi ad tutandos fines, ſicubi præſentia ſua alicubi posſet esſe utilis. Ad comitem Sancti Stephani, qui Gallæciam defendit, ab urbe Hiſpali misſa $\frac{C}{I}$ millia ducatorum, et Caſtellæ duas regiones ultro ſibi indixisſe tributum ad trecenta ducatorum millia. Non tamen eo minus Salvataram, ea Gallæciæ urbs, esſe receptam a Portugallis. Novas aurifodinas in eâdem Gallæciâ repertas apud S. Sebaſtiani urbem. Ducentas ciſtas nummorum, quos *Reales* vocant, misſas ex Hiſpania Genuam. Maximam auctoritatem conſiliorum in ea aula esſe penes Ognatum et Monteregium. Esſe etiam in gratia Ludovicum Arovium, Olivareſii propinquum, ſed ita ut publicis negotiis nondum miſceatur. In Anglia Harcurtius ad ſe venienti Esſexio, ut Parlamentariorum Principi, digniorem dedit locum. At Montacutium, ei quamquam minas Reginæ Regentis nomine adhibenti, reddere Parlamentarii pernegant. Id impedimentum non leve eſt ad legationis ſuccesſum; ſed alterum non minus, quod Galli offenduntur, promotis ad præcipua aulæ munia hominibus, quos ipſi Hiſpanis quam Gallis benevolentiores exiſtimant, quos inter numerant Cottrinſtonum et Dypibyum; quod

ſi

ſi ea ſuſpicio demi Gallis non poteſt, relinquent Angliam, Scotiam, Hiberniam, ſuis magnis malis, quæ Gallicis artibus fata nonnulli exiſtimant. Augebit differentiam legatus, qui ab Imperatore in Angliam venire dicitur, diſturbandis, ut ſæpe antehac, quæ pro Palatino capi posſent, conſiliis: ſed neque Galli ſcrio rem Palatinam agere videntur. Audio nempe, Card. Mazarinum in id laborare, ut vetera foedera cum Germaniæ Principibus renoventur, in quibus ſunt et Eccleſiaſtici Electores et Bavarici, utque idem ſiat cum Principibus Italiæ, ferme ad eum modum, quem Henricus IV paullo ante mortem ſuam moliri coeperat. Sed ut ad Angliæ res revertar, Rex Readingæ eſt, et late agros tenet. Esſexius cum Præfectorum et Ducum præcipuis Londini, milites in ſuburbanis locis. Urbis ejus opes commercio cesſante exhauſtæ; fesſa bello plebs; Wallerus Esſexio diſcors ſe laboribus et periculis exemit. Copiæ ejus ad Windeſorum diffluunt. Esſexius, auctus novem urbanis cohortibus, promittit ſe ire Readingam, ubi Rex eſt, triginta duobus a Londino milliaribus Anglicis. Ante Harcurtii adventum diligens a Parlamentariis facta inquiſitio eſt, an mercatores Londinenſes litteras accepisſent ad dandas ei pecunias, et quantas. Iidem Parlamentarii manus injecere omnibus bonis Regis, Reginæ, Principum, ita ut et ſilvarum Regiarum arbores ceciderint vendiderintque: nimirum ut Regem ſuum faciant, quemadmodum polliciti ſunt, omnium Regum potentisſimum. Novum etiam fecere Sigil-

lum

lum Parlamenti. Judicia dormiunt; nihil aliud agunt Magiſtratus, quam exſequi militaria et tributaria. Sperant Regii, in manus Regis ventura oppida Hullum et Pleimuthum, preſſa magnis incommodis. Apamienſis in Gallia Epiſcopus, amicus Bellovacenſis Epiſcopi, impeditur ne in poſſeſſionem Epiſcopatus ſui perveniat, etiam bullis Romæ retineri juſſus. Nojerius Tillerio ceſſit de officio Secretariatus. Jeſuitæ quidam in ſuis homiliis acerbius invecti ſunt in librum Doctoris Sorbonici Antonii Arnaldi, probatum a multis Archiepiſcopis, Epiſcopis et Doctoribus, id agentem, ut veteres de poenitentia canones, quantum fieri poteſt, revocentur. Eos Epiſcopi qui Lutetiæ ſunt ad ſe vocarunt, ut dictorum rationem redderent. Dixere ſe exemtos ab Epiſcoporum inſpectione. Epiſcopi, cum nulla talis exemtionis documenta in Parlamento probata ſint, negant ejus habendam rationem. Latent adhuc Legati a Dania et Polonia. Spes eſt ex XXII millionibus annuis ali poſſe LX millia peditum, equitum ſupra XX millia, quæ ſufficere putant Galliæ. Erlachius Uberlingæ alimenta intulit. Melos pacata ad fontem Epiſcopi, loco id nomen eſt, ſeditione militari, Bruxellas iſſe dicitur. Cantelmus eſſe Machliniæ, Savedra Antverpiæ, in Lucemburgico Beckius. Duci Anguiano contra Duciſſam Eſguilloniam lis eſt. Deus &c. xxix Octob. / vii Novemb. MDCXLIII.

H. Grotius.

Audimus, qui in Italia ſunt, Gallos munimentum extruere inter Venellam et Caſale. Hiſpanos autem illis in locis ſe tenere Mortaram inter et Bremum. Putem non abs re fore, ſi Regina noſtra etiam ad Ducem Aurelianenſem et ad Condæum ſcribat, ut conſilii regii capita. Caſtellani in Gallæcia esſe dicuntur ad VIII M. peditum, equites M. Johannes Souzo Portugallus XL vicos incendisſe fertur; obſidere Tujam oppidum. Mille Equites Epirotæ pro Hiſpano conſcribuntur. Hiſpani, qui in Catalania ſunt, Algoveram et Armenas apud Leridam recepere. Rex Britanniæ in poteſtate ſua habet pontes, qui ſupra Oxoniam ſunt, Meidentradum usque. Inſula S. Laurentii, Plimutho objacens, Pr. Mauritio Palatino ſe dedidit. Comes Clevelandus, Regiorum unus, cepit oppida Bethfortum et Huntingtonum. Advecta ſunt Falmuthum in uſum Regis arma et alia bello necesſaria. Wallerus Porthmuthum ſe recepit, cujus oppidi pro Parlamento Præfectus eſt. Parlamentarii litteras, quas ferebat Montacutius ad Regem ac Reginam Angliæ, Harcurtio reddiderunt.

X L V I.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Die hujus menſis decimo, ut hic numeramus, accepto ad Reginam R. aditu, tradidi ei litteras gra-

gratulantes de Theodonis villa, et alteras de foedere obſervando, cum ſignato ejus argumenti inſtrumento. Regina, cum ei dixisſem cum litteris congruentia, et ea narrasſem, quæ Torſtenſohnio et Königsmarkio evenerunt, gratiis actis Reginæ noſtræ Serenisſimæ, Potentisſimæ ac Clementisſimæ, de gaudio ſuper Galliæ rebus profſperis, viciſſim ſe cum gaudio dixit intelligere res proſperas noſtras. Et cum de pacis voto aliqua interjungerem, dixit, non debere in eo negotio ſejungi regna, quæ bello conjuncta fuerint. Cumque et Hasſicæ Principis negotia commendasſem, multum extulit ejus fidem et conſtantiam, dixitque, ſe ejus cauſa facturam, quidquid fieri posſet. Regina R., et mulier etiam Hiſpana origine, eoque facilis ad credenda oſtenta, nuper venit ad plebejam foeminam nervorum diſtenſionibus, quas Græci ſpasmos vocant, obnoxiam, ut puto. Ea, ſimul ut Regina advenit, mortuæ in modum ſe extendere, continere ſpiritum, palpitare pectore, confuſum quiddam primo eloqui, deinde diſtinctius, Deum a ſe conſpectum. Rogante Regina, ecquid Deus diceret, reſpondit, hoc eum dicere, damnatam fore Reginam, ni pacem cum Hispania faceret. Poterat Regina moveri talibus, niſi Card. Mazarini oraculis addixisſet animum. Is vero bellum trahi e re ſua exiſtimans, non per Galliam tantum, ſed et alibi ſpargit hunc rumorem, non posſe Reginam, quæ tutelare duntaxat jus habet, quidquam reddere eorum, quæ bello ſunt parta. Viri tamen magni aliter ſentiunt, posſe Regi-

nam id facere, sed consulto toto Status consilio, et accedente Parlamenti Parisiensium, quæ Parium est curia, auctoritate. Nam et in privatis minorum bona vendi gravibus ex causis et ex judicis decreto: in regnis præterea et infante Rege non deficere Regiam potestatem, in qua comprehensum est et jus ea faciendi, quæ ad pacem sunt opus; multaque sunt ejus rei, tum alibi, tum in Galliâ, exempla. Adeptus est intra breve tempus Card. Mazarinus quantam Richeliacus unquam habuit auctoritatem: et Richeliacus, Rege invito, hic vero, plane volente Regina. Metuenda tamen mutatio, quia Galli, quæ a Rege suæ gentis pertulere, non facile ab extranea perferent, rerum administro præsertim non minus extraneo, nullis hic fulto amicitiis aut affinitatibus. Motus manent tum alibi, tum in Sanctonibus: nec aliter fieri potest, quia opes invidiosæ relinquuntur penes qui eas miris modis corrasere, et id agitur ut bellum duret, quod sine novis gravibusque in plebem oneribus fieri nequit. Fine Octobris, et initio mensis hujus, Gallicæ copiæ ad Ottenhemum Rhenum transivere, nihil contra id molientibus Bavaricis, qui in tractu Badensi se continent, et aucti sunt Lotharingicis copiis, Hazfeldiumque cum V hominum M jamjam exspectant, exemtis per eum periculo eis, qui Hoxteræ erant circumsessi. Non videntur mihi Galli multum promoturi tantis hostium copiis. Nam supplementum, quod Guebriano addidit Dux Anguianus, non est supra quinque hominum millia, ante autem sex millia non habebat

Gue-

Guebrianus. Videntur Galli hoc tempore nihil majus quærere, quam commoda militi hiberna per Sueviam Franconiamque, connivente forte Bavaro. Dux Anguianus hic eſt, agam ei gratias pro navata opera. Rediit ad Francofurtenſem conventum legatus Würtzburgicus. Exſpectantur et illi a Brunswicenſibus, qui plane creduntur acturi Cæſaris negotia; itidem Norimbergenſes, qui itidem exſpectantur: quanquam enim ea civitas antehac cauſam libertatis acriter tutata eſt, cogitur mutare velificationem, quia adverſus creditores ſuos beneficio Imperatoris indiget, ad obtinendam dilatoriam exceptionem quinquennalem. Oblivionis lex, qualis in Francofurtenſi conventu concepta fuerat, ſicut Ordinibus minus arcta, ita Imperatori eique faventibus æque laxior videtur. Conſenſere Electores jam omnes, ne negotium Palatinum alibi quam Viennæ tractetur. Quare domus afflictæ ſpes omnis, quamdiu Britannia in ſuis malis manet, poſita eſt in conſtantiâ Suediæ Galliæque et conciliatoris Dani. Galli, ut eloquar quod ſentiam, parum eam rem curant; ſed tantum ejus obtentu retundent poſtulata partis adverſæ. Filius Neoburgici Ducis Francofurti ſplendidum ſibi comitatum parat, crediturque futurus caput legationis Cæſarianæ ad pacem. Id ſi eſt, ibit hinc eo Longovillanus. Qui legatos ſe dicebant alter Poloni alter Dani, non niſi Reſidentes ſunt. Danus abiit nulla hic re peracta, niſi quod de rebus Hiſpaniæ, unde venerat, magnificentius locutus fuit quam ſeipſæ habeant, de rebus

autem Gallicis cum contemtu aliquo. Polonus, Mazarini vetus amicus, hic manebit, non puto ad commendandas res noſtras. In Burgundiæ comitatu audimus Hiſpanos inter et Gallos inducias factas ad medium Novembrem. Quinque cohortes in Turonenſem agrum mittuntur, ad puniendos motus, qui et ibi ſurrexerunt. Pr. Condæus ex arboribus cæſis Damartini et Chantilliaci duos fecit milliones. Id ipſi manebit, ſi forte donatio, ei a Reginâ facta, aliquando controverſiam recipiat. Manet adhuc multis in locis caritas annonæ. Quatuordecim nova edicta ad pecunias quærendas pariuntur. Sententiæ datæ de demoliendo Huguenottorum templo ad Melam, quominus in rem conferant, nobilitas loci ſe opponit. Mareſcottus a Roma rediit, vetitus hinc quidquam agere amplius pro Epiſcopo Bellovacenſi. Ducisſa Mombazoniæ Mombazoniæ eſt. Chevreuſia Salmurii. Per urbem hanc pasſim locantur cuſtodiæ militares reprimendis ſeditionibus, quarum non abſunt ſemina. Vice Comes Turenæ et Gasſio ante alios putantur futuri Franciæ Marechalli. Sabaudus ad pacem legatus Comes S. Mauritii etiamnum hic eſt. In Italia oppidum Pontis Sturæ Gallis deditum eſt die XXVIII m. Octobris, ita ut Hispani in Pedemontano et Montisferratenſi tractu nihil jam teneant præter Vercellas et Saricam. In Hiſpania Portugalli Tugam oppidum cepisſe dicuntur, non longe a Badajosſo. Opponunt ſe eis Caſtellani cum octies mille peditibus, equitibus mille ſub Cardinali Spinola. Eorum vero, quæ in Cata-

la-

laria funt, obfesfum eunt Monzonem cum exercitu XIII millium. Fama hic vagatur, in Hifpania Comitem Aymontium damnatum capitis, Ducem Medinæ Sidoniæ ad carcerem perpetuum. In Anglia Rex Comiti Harcurtio conditiones perfcriptas dedit, fub quibus pacem cupiat. Vult autem ille irrita, quæ invito fibi expresfa dicit, ut Parlamentum quamdiu velit congregatum maneat, liceatque ei coire iterum fine regio asfenfu, et ut Epifcopi exfint ex Parlamento. Harcurtius Londinii exfpectatur, ut ibi tentet, quid confieri posfit. Princeps Mauritius Palatinus cum periculo ægrotare dicitur; fi moritur, erit in eo jactura non levis ad res regias: nam et animo valet, et fratre Roberto eft amabilior. Legatus a Darmftadienfi hinc abiit, re nulla peracta, quantum quidem intelligere potuimus.

Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{IV}}{\text{XIV}}$ Novembr. MDCXLIII.

H. Grotius.

Comes Chavigniacus in confilium non venit nifi vocatus, quod raro fit; videtur honos ei magis datus, quo ab inimicis eo præfidio fit tutus, quam quod magnus ejus futurus fit ufus. Sunt hic feditiones etiam in Andegavenfi tractu et Incolismenfi. In Comitatu Burgundiæ Pauliniacum et aliæ arces funt dirutæ. Agitur de commercio cum Hifpania reftituendo. Publicani quingenta millia Francicorum Regi dant pro mutua in eam fummam, quam in adventum novi Regis collaturi funt omnes, qui

ſunt in honoribus, et artificum collegia. Ii qui religionis ſunt Reformatæ, multa queruntur. In Anglia Hullam audimus exemtam Regiorum obſidio. Contra vero Principem Mauritium revaluisſe, et premi ab eo Plimutham.

XLVII.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Accesſi die Jovis elapſo Ducem Anguianum, gratulatusque reditum, dixi ei, Reginam noſtram Dominam Clementisſimam non omiſisſe in ſuis ad Reginam Galliæ Regentem litteris, gaudium ſuum de capta Theodonis villa eo esſe majus, quod res geſta esſet ductu Principis ex regio ſanguine, qui hoc alterum jam dedisſet tam prudentiæ quam virtutis ſuæ teſtimonium, futurus in poſterum magnum Galliæ ad res magnas inſtrumentum. Egi deinde gratias de transpoſito trans Rhenum milite; rogavique ut operam daret apud Reginam, ut ad eum, qui nunc eſt, numerum aliquid accederet, quandoquidem Bavarici magna accepisſent incrementa a Lotharingiis, ab Hazfeldio ſecum trahente eos, qui ex Brunswicenſibus locis exiere, ab Hiſpanis, tum e Palatinatu, tum e Lucemburgico, qui juncti non minus facerent octo millibus, præter quod Dux Ba-

Bavarus dicitur conſcribere venatores ad quatuor millia, et ex nobilitate tria millia ex Feudorum lege. Optare me, ut Galli non pares tantum ſint his copiis, ſed et ſuperiores, et ſic res ab eo coepta, felices nacta exitus, ad ipſius redundet gloriam. Promiſit ſe apud Reginam hujus rei memorem fore; Reginæ noſtræ ſe agere gratias pro bona ſua de ipſo exiſtimatione, in qua, ne fallatur, daturum ſe operam. Benfeldii ſe bene exceptum, curasſe viciſſim, ne quid ei loco præſidioque incommodetur. Intelligimus ad Rothurlam pervenisſe Gallicum exercitum; obſidionemne moliturus ſit, an ulterius, et, ut quidam putant, ad Danubium iturus, non certo dixerim. Sunt, qui exiſtiment, contentum fore Marechallum Guebrianum in Algavia hyberna ſibi quærere. Sunt litteræ, quæ Bavaricos ire dicunt Tubingam, Hazfeldium in Franconiam, Lotharingos trans Nicrum, Bavaricos vitaturos prælii incerta, cum ſpe fore ut ipſi ſedes habituri comodiores et præparatam victus copiam; Gallorum in alieno viventium, neque ad futuras necesſitates ſatis proſpicere ſolitorum, patientiam fatigent. Dux Carolus, quamquam manifeſtus Ducis Bavarici adjutor, non cesſat in illis locis rumores ſpargere de facili ſua cum Gallis conventione. Jactant tale quid etiam Bavarici. Placet Imperatori, ut res Palatina tractetur Francofurti in conventu Ordinum, et ex eorum decreto Monaſterii. Videtur etiam disſimulaturus, ſi quid Collegium Spirenſe ad ſui tutelam a Gallis impetrare posſit. Bavarus libellos ſpargit tuendo

juri ſuo in Palatinatum. Vidua mater Friderici, quondam Bohemiæ Regis, libellum Ordinibus Imperii obtulit pro ſe et filio Duce Zimerenſi, ut quæ bona ipſis Ordd. asſenſu attributa fuerant, ea habeat cum fructibus exácti temporis. Bavarus ab Imperatore petiit, ut militem Heilbrunnæ collocare ſibi liceat. Sunt, qui putant, multum decesſurum ejus exercitui, per præſidia, quibus opus habebunt urbes, ob incertos a Gallis metus. Soli Auguſtæ urbi tribus millibus opus fore. In Italia Florentini de Barbarinis, Barbarini de Venetis victoriæ aliquid peperere. Dux Mantuanus huc veniet, ut diſcat ea, quæ ejus ætatis Principes doceri ſolent. Hiſpani Oranum in Africa obſidio exemerunt, Monſonum obſident. In Anglia Iſola Imperatoris Reſidens palam aſſirmat, certum ſibi pacem Gallos nolle. Harcurtius domeſticum ſuum ab Oxonia miſerat cum litteris ad Reginam Galliæ regentem. Is a Parlamentariis militibus, qui non procul Londinio munimenta quædam inſident, retentus nudatusque fuit, litteræ etiam ablatæ: ſed eas, Comiti Harcurtio obſignatas, reddidere Parlamenti proceres, unum quoque militem incluſere carceri, ut Harcurtio ſatisſieret. Spes pacis exigua eſt, nec multum de ea laborabunt Galli, quamdiu credent apud Regem Hiſpanica conſilia prævalere. In Scotia pauci pro Rege ſunt. Ceteri, qui numero prævalent, auxilia mittunt Anglis Parlamentariis ad $\frac{m'}{xxiv}$, unaque cum Anglis unum conficiunt conſilium perpetuum, quod re-

rebus communibus præſit. Ea res videtur ſpectare ad longum bellum, quale eſt in Belgicis partibus, quamquam non paribus cauſis. Galli ſex naves e Sicilia venientes cepere. Hasſici apud Fuldam ſunt. Permiſit Papa Canterniæ, quæ amica eſt Ducis Caroli, ut ei Veſontione habitare liceat, donec lis ſuper matrimonio terminetur. In Gallia nullæ in aperto ſunt copiæ, præter exiguas in Campania, ſub Comite Quincæo. Vice Comes Turenæ et Gasſio jam facti ſunt Franciæ Marechalli. Sperant Galli, XX Milliones ſe lucri facturos augendo numero cohortium et centuriarum, ita ut pauciores multo futuri ſint Præpoſiti militares. XX item Milliones ſperant ex donativo, quod ex arbitratu conſilii Regii daturi ſunt pro adventu novi Regis omnes, qui Eccleſiaſticos reditus tenent. Paullo amplius ex eo, quod ſub eodem nomine daturi ſunt omnes qui in honoribus ſunt publicis, et opificum artificumque ſodalitates, qui ob id ſerio Deum ſunt precaturi, ut diu Rex vivat. Mittuntur, qui motus ſedent, multis in locis ortos. Sanctonibus onus vini remisſum. Convocantur Ordines in Normannia et Burgundia. Induciæ in Comitatu Burgundiæ exiere. Librarii quidam et chartarum venditores in carcerem dati ob libellos, non convenientes temporibus. Duo hic ſunt a Venetis legati Extraordinarii, ſed brevi abituri. Frumentum externum huc advenit, tum Nannetas, tum Burdegalam. Marchio Sancti Chaumontius jam in itinere eſt Italiam verſus. Fama adhuc vagatur de præfectura Belgicarum partium, quæ ſub

ſub Hiſpano ſunt, danda Leopoldo. Deus &c. Lutetiæ $\frac{XI}{XXI}$ Novembris MDCXLIII.

H. Grotius.

Induciæ inter duas partes in Hibernia factæ ſunt XIX Septembris. Hiberni Romanenſes ad Regem Britanniæ miſere partim pecuniam, partim boves, ad pretium usque CCCVIII M. librarum. Clades, quam Barbarini ab Hetruſcis accepere, evenit ad Petilianum, quod oppidum eo modo exemtum eſt obſidione. Duo legati e Moſcovia fuere apud Turcarum Sultanum bene excepti. Zulfigvianus, qui in Cypro defectionem moliebatur, captus ſtrangulatusque eſt. Monterchium in Hetruria cepere Barbarini. Bis mille Hiberni in portum Angliæ Minhendum, in Regione Somerſetæ, venerunt militatum Regi Angliæ.

XLVII.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

Illustrissime Domine.

Reſidens a Polonia, qui hic eſt, vetus Cardinalis Mazarini amicus, familiari admodum ejus conſuedine utitur. Multi me monuere, eum malum nobis coquere, et exploratorem esſe latentem ſub Polonico nomine, ſubmisſum ab Imperatore. Is ipſe

Re-

Residens aditum ad me quæsivit, sed arripui occasionem ex errore circa titulos ejus, qui ad me missus erat, ut, non appetens salutationum, ab eo negotio me expedirem. Cardinalis autem Mazarinus, sicut generosa quædam consilia pro Gallia suscepit, ita odium in se plebis Gallicæ partim sentiens, partim prospiciens, cogitat Romam in actibus suis spectare: quod Polono, Bavaro aliisque non ignotum. Quidam etiam Papatum ab eo sperari putant, partim eo adductum felicitate, quam semper habuit, admirabili, partim Astrologorum promissis. Viam autem ad eam rem esse unicam, ut, quando Galliam habeat sibi subjectam, Hispaniam quoque sibi adjungat, promissa pace ex Catholicorum usu, quippe duabus illis factionibus Romam regi. Hæc quamquam non pro exploratis habeo, tamen multorum jactata sermonibus censui non reticenda, judicium permittens prudentioribus. Gothofredus, qui jam in Batavia est, dixit eis, qui ad me id perscripserunt, Galliæ desiderium esse inducias longas; et Suediam per foedus obligatam, ut id sequatur. Rescripsi scire me, foedus durare ad pacem aut inducias usque: sed ita me arbitrari nihilo magis Suediam obligatam aptare se Galliæ utilitatibus, quam Galliam Suediæ. Rothwilam cepere Galli per pactiones. In ejus oppidi obsidio machinâ, quam falconettum vocant, dissiliente, brachium abreptum est Marechallo Guebriano, unde is, accedente morbo, post aliquot dies est mortuus. Inde discordia, nolentibus Ranzovio obedire Vinarienfibus. Itum

est

est trans Danubium; captâ Ditlingâ, machinæ et pulvis bellicus posita extra oppidum, ut magis in expedito essent, si hostes advenirent. Ranzovius intra Ditlingam erat cum Marechallo castrensi Montaugerio, Gallo, et Ehmico tribuno, Germano. Monuit eos tribunus Rosa venire hostem, ipse tamen non accucurrit. Vix nuncius venerat, cum adsunt ter mille equites hostium, qui illico machinas extra oppidum positas, erant autem viginti, capiunt, occisa cohorte ad machinarum præsidium posita; sequentibus hostium pluribus, partim qui trans Danubium erant, partim qui subito Danubium transierant, nihil aliud facere potuerunt Ranzovius et alii, qui intra Dietlingam erant, quam, destituti machinis et pulvere bellico, semet dedere. Qui hic rerum potiuntur culpam in Ranzovium conferunt. Germanos pridem conquerentes audivi objectari se periculis ut vile damnum. Die Mercurii exacto, vidi Reginam regentem: obtuli ei litteras Reginæ nostræ, datas VII Octobris, pertinentes ad rem Benfeldianam. Ostendi magnam nobis factam injuriam. Poposci acriter, ut et exemplum in eos, qui maxime deliquerant, statueretur, ne quis posthac tutelam a Rege promissam infringeret, et damna resarcirentur. Ad ea Regina Regens respondit generaliter, se omnia facturam quæ ad bene servandam cum Regina nostra amicitiam pertinerent. Narravit acceptam cladem, et cum dixissem majores copias mittendas fuisse, et nunc eo majores ob damnum factum, respondit se id facturam. Sperare se etiam no-

nostros non abstracturos se a distinendo hoste. Dixi, nuper Erfordienses nostros excurrisse in agrum Moguntiacensem; commemoravi, quo in loco essent res Torstensonii et Conigsmarkii. Postridie ad me venere Comes Bryennius, qui locum eum obtinet, quem antehac Chavignianus, et a Card. Mazarino is, quo ille ad res externas maxime utitur, Sillonus. Ex illis, sed et ex aliis didici, post illud malum, quod apud Ditlingam evenerat, sine ulla mora Rosam et Tubadelium celerrime se contulisse Brisacum et in vicina oppida. Mitti hinc Vice-Comitem Turenæ, ducis Bullionii fratrem, nunc Franciæ Mareschallum, Germanis Principibus affinem, ut exercitui, qui sub Guebriano, imperet, notus et non ingratus Germanis; pecunias missas; properare eodem militem ex Campania aliisque regionibus. Utriusque sermo eo tendebat, ut, collecto ex præsidiis Suediæ milite, quæ sunt in proximis Germaniæ locis, aliqua fieret hostilium virium distractio: tum, quod præsens necessitas id requireret, tum, quod ad frangendam hostium ferociam pertineret, manifestis indiciis ostendi foederatorum contra eos consensionem. Comes Briennius insuper tanquam magnum arcanum, et quasi nobis id magno imputans, addebat intellexisse Reginam R. et ministros ejus, Muscovitam bellum in nos moliri. Respondi, ex affinitate, quam is contraxisset cum R. Daniæ, facile intellectum Suediæ tale aliquid posse metui, eoque magis, quod Russi non minus dolentibus oculis aspicerent terras sibi ereptas, quam Angli Norman-

manniam et Aquitaniam; ſed et in eum eventum paratos noſtros: esſe autem et hoc inter cauſas, cur æqua pax ſperni non debeat. In Hiſpanico ſine Motta Odincurtius accuſatus in hac aula, quod per totam æſtatem, multo validior hoſte, nil aggresſus esſet, excuſavit ſe, quod pecuniâ deſtitutus metueret ſeditionem. Nunc vero cum Hiſpani XX millia habeant, ipſe forte XI, conſpiciendum ſe dedit Hiſpanis, qui Monſonem obſident; et, cum ii præter numerum militum et munimentis tuti esſent, ad prælium eos vocavit, quamquam, ut ajebat, copiis ſuperiores, addita et hac conditione, ſe jam nunc Monſonem traditurum in ipſorum manus, dummodo obſides darent; ſe reddituros id oppidum, ſi fortuna prælii contra eos esſet. Id, quamquam merito ſprevere Hiſpani, rebus magis quam rumoribus intenti, Catalanis magnum attulit gaudium, datam credentibus materiam, ut Hiſpanis ignaviam exprobrarent. De clade illa ad Ditlingam certiora diſcemus; qui minimum dicunt, mille homines ajunt deſiderari; ſupplementum audio esſe millium quatuor. In Italia Valetta, qui Venetis militat, vaſtitatem infert agro Bononienſi. Regina R. hic voluit, ne miles aut Barbarinis aut contrariæ parti hic colligeretur; colligitur tamen, ſed clam. Comitatui Burgundiæ Galli inducias offerunt, ſi millionem quotannis perſolvant. Scribuntur hic novæ cohortes X atque duæ. Libri eduntur contra Pontificem; et Librarius, ob eam rem captus, a Magiſtratibus dimisſus fuit. In Canadam Americæ partem mittuntur hinc foeminæ tur-

pi-

pioris vitæ ad augendam ſobolem, ſed prius a morbis, quos talis vita adfert, purgatæ. Vetitum hic aurum, argentum, et ſericum denticulatum veſtibus ſuperducere. Reginæ matris defunctæ hæreditas a Rege et Duce Aurelianenſi ſub beneficio inventarii aditur. Jeſuitæ Epiſcopis ſatisfecerunt, accuſati ob homilias quorundam ejus Societatis contra librum Arnautii Sorboniſtæ, approbatum a multis Archiepiſcopis, Epiſcopis et Doctoribus. Quæſtio eſt, an expediat poſt peccatum capitale uti communione, an eam differre aliquamdiu, et poenitentiam interim agere. Hoc ajunt Epiſcopi, illud Jeſuitæ, at non omnes. Millio librarum miſſus Legatis pacem tractaturis, ut dignitatem regni bene ſuſtineant. Marchio Bresſæus Tulonum e mari venit, unâ magnarum navium amiſſâ. Conſcribitur hic miles ad tutelam viarum intra et extra urbem. Francofurti ad conventum venit Legatus Ducum Brunsvicenſium; non placet quod ſe abſente conſtitutum eſt, ut ſolus Imperator et Electores mittant in Weſtphaliam pro pace, et inde notitiam accipiant eorum, quæ geruntur; dubium eſt, an ſe ſit oppoſiturus. Regi Daniæ reſcripſit conventus; attamen ſi is Rex et Rex M. Britanniæ plane in eo perſtent, ut in Weſtphalia res Palatina tractetur, placuit ut Electores ea in re Regibus illis morem gererent. Apud multos in Francofurtenſi illo conventu ſpes pacis langueſcit, tot ſe aperiunt difficultates. In Anglia domus, in qua Londini divertit Harcurtius, irrupta et ſpoliata eſt; quidam eam

H ob

ob rem capti. Scriptum Parlamentariis tradiderat idem Comes Harcurtius, eo ſignificans, velle ſe edocere quæ cauſæ eos ad arma egisſent, ut remedium ſecundum leges et conſuetudines et edicta vetera adferretur. Id vero plane iis non placuit, qui Epiſcopos exactos volunt. Archiepiſcopus Cantuarenſis per advocatos ſe defendit, negans ſe aut in re aut in modo quicquam egisſe contra regni ſalutem aut leges. Litteræ ſcriptæ Conſtantinopoli v Septembris nunciant, per legatum Moſchovitam comite addito, quem Naurum vocant, renovata foedera per bellum Aracenſe nonnihil turbata. Epidaurios tributum ſolenne ſolvisſe per legatum. Clasſem Turcicam ab ora Calabriæ rediisſe cum paucis captivis. Dicebatur captus esſe Zulfihir, Aſiæ minoris præfectus, dum Cypri posſesſionem attentat. Hæc nunc habebamus. Deus &c. Lutetiæ xxvi Novembris / vi Decembris MDCXLIII.

H. GROTIUS.

De re Benfeldii nihil plane mihi dixere aut Comes Bryennius aut Sillorius. Hoſtium exercitus in Germania eſt ad XX millia. Gallicus ægre XIII millia habuit, ita ut mirum ſit eum tam longe abiisſe a præſidiis ſuis. Præfectus Uberlingæ cepit arcem Heiligebergam; Hiſpani, qui in Mediolanenſi terra ſunt, duo caſtella faciunt ad lacum Majorem et ad ripam Ticini. Galli in Pedemontano tractu citra præſidia habent ſex millia peditum, equitum

duo.

duo. Barbarini duo caſtella faciunt apud Peruſiam. In Lotharingiâ foemina nobilis Belmontia, ſueta militiæ, Croatas aliquot fudit. In Anglia Princeps Robertus Northamptonum obſidet. Mauritius Princeps Pleimuthum cum bona ſpe ſuſcepit. Comes Hollandiæ, Parlamentariis reconciliare ſe volens, non ita ſuſpiciones eluere potuit, ut non in cuſtodiam daretur.

XLIX.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

Illustrissime Domine.

Quæro aditum ad Reginam R., ut ea, quæ ſuper re Benfeldiana mandata ſunt, litteris, Reginæ noſtræ datis VII Octobris, ei eloquar; ſed mirum in modum Regina hic R., ut nuper Rex, obſidetur, ne rerum notitia ad eam perveniat. Tempore Henrici IIdi homo quidam, creditus fatidicum habere ſpiritum, dixit ejus Regis liberos tres regnaturos, deinde Navarræum, poſt id ſe nihil videre, niſi galeros rubros. Videtur ſane res eo ire. Videbimus, quid futurum ſit in transrhenanis locis. Cladem non exiguam accepere Wimarienſium Ductorum præcipui, Tubadelus et Roſa, cæſis ſuorum ferme trecentis, equis et ſarcinis raptis cæterorum: erant autem mille et D. Manet Francofurti qui fuit conventus, legatos autem in Weſtphaliam misſuri ſunt

 Im-

Imperator et Electores. 'Mercius equitatu plus quam peditatu valet; Lotharingi sunt ad IV M. æquis ferme copiis pedestribus et equestribus, sic et Hasfeldius. Hassici putantur cognato principum suorum Darmstadiensi vicem pro factis relaturi. Elector Moguntiacensis et Episcopus Wurtsburgensis colloquia coram habuere ad sui tutelam. Erlachius quingentos equites misit Guebriano. Dux Carolus ipse adest Bavaris, nec eo minus Lotharingis suis, qui ad Longviacum sunt, vetuit ne quid hostile in Gallos coeptarent; famamque spargit pactionum cum Galliis, interim copias suas auget. Rumor est, nescio an certus, IV militum M. ad Guebrianum mitti. Monsonem Hispani obsident XX M. exercitu. Motta Odincurtius pecuniam accepit ad CCC M. scutatorum, M. CC hostium equites disjecit. Rex Hispaniæ multos ad se trahit Catalanos, nullum in mutatione reperientes operæ pretium. Lafortius, Ducis filius, et alii qui Marechallatum Franciæ speraverant, cum alios viderent eo pervenisse, abierunt in villas suas, non dissimulantes offensionem. Decem novæ cohortes conscribuntur, et ala tota in usum Cardinalis. Viginti solidorum onus in vinum manet in oppidis, ubi præsidia sunt, aufertur in vicis. XXV præsidia per diversa hujus urbis loca collocantur contra seditiones, quarum magna sunt semina. Regina R. dicitur sibi velle maris imperium, vicario usura Guisio. At Regis patruus non contentus ea, quam habet, potestate, tantam expetit, quantam habuit Anto-

tonius Navarræ Rex, regente regnum Catharina Medicæa. Marchio S. Chaumontius jam in Italiam abiit. Dux Bellifortius in carcere manet, nec judicio fiftitur, quod expetit. Probationes adverfus eum quæruntur, fed non repertæ funt hactenus. Dux Anguianus uxorem fuam, propinquam Cardinalis, ita averfatur, ut eam nec videat. Parlamentarii Angli, ut Gallos avertant a Rege Angliæ, fimulant, fe velle foedus facere cum Gallis, ad arcenda et inferenda bella: non quod id facturi fint, ut ego quidem arbitror; nimis enim amant quæftum, qui maximus eft ex Flandriæ et Hifpaniæ commerciis, fed ut tempus ducendo pericula evitent. Interim per idoneos homines concitant Batavos, ut et ipfi fe adjungant foederi, quod Angli et Scoti ad tutelam, ut ajunt, religionis et libertatis fecere. Hetrufci poft victoriam ad Petilianum, Montem rotundum cepere, et repulere e Perufia egresfos. In Gallia civitas Torunenfis, ne præfidio oneretur, L fcutatorum M. redemit. Ducis Aurelianenfis uxor gravida adhuc esfe a domefticis creditur. Soror ejus dicta Princeps Pfaltsburgica gravida eft ex nobili Italo Girafio Flandriæ præfecto. Clandeftinas cum eo nuptias fecisfe dicitur, et ipfe Girafius ob id in carcerem datus. Multum ob has nuptias irafcuntur et Dux Aurelianenfis et uxor ejus, quafi immemores, eandem antehac nupfisfe Notho Cardinalis Lotharingi. Germaniam quod attinet, eft libertatis pulchrum nomen, fed paucis ea curæ: fua quisque agunt. *Invitos fi liberos facere velis, jam*

non facies liberos: quia libertas est facere, quod velis ipse, non quod alii volunt. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{XVIII}}{\text{XXVIII}}$ Novembris MDCXLIII.

H. Grotius.

Motta Odincurtius impar Hispanicis copiis, tamen aulæ jussibus excitatus, XII Novembris hujus se movit ad liberandum ab obsidio Monsonem, quod jam cuniculis impetitur. Creduntur esse in periculo et ille Gallorum exercitus et alter Guebriani. Interim Germani, qui Gallis militant, ad Cæsaraugustam usque factis excursibus, boves inde et equos abduxere. Et Papa et Veneti hic militem scribunt. Barbarini Monterchium cepere et loca propinqua quædam. Hetrusci arcem S. Viti prope Perusiam, et arcem S. Æneæ cepere. Suedi ex Erfurto Moguntiacensi agro mala intulere. Hiberni publicant se venturos in Angliam in auxilium Regis, si eo intrent Scoti. Accepi litteras Excellentiæ Vestræ scriptas Mindæ 2 Novembris, habeoque pro eis gratias summas. Scripsi ego septimo quoque die, litteras misi ad Dnum Rosenhanium inde recta .... D. Bilderbechii opera, per quem et in posterum mittam inscriptas Excellentiæ vestræ, quæ, ut caput legationis, participes earum, quæ tanti sunt, rerum, faciet alios.

XLIV.

L.

JOHANNI OXENSTIERNÆ BARONI PLENIP.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Cardinalis Mazarinus, qui magnam temporis partem in chartas lusorias impendit, Ranzovii uxorem consolatus, dixit ipsius causam suam esse, et certe ita se res habet. Parvæ copiæ sine victu missæ ad res tam longinquas, tantis hostium viribus. Par in Ducibus militibusque securitas. Nam qui ad Dietlingam deprehensi sunt, chartis ludebant plerique. Captivos IV M. divisere inter se Bavarici et Lotharingici. Dux Carolus pacta ad Dietlingam signavit, ut summum ibi habens imperium. Altera Vitriaci castra ad Meringam erant, non ad Memmingam. Par ibi stupor. Rothvila tanto labore capta, relicta fuit sine pulvere bellico: itaque ad adventum victoris exercitus dedita est; sed ita, ut dimissis ductoribus milites coacti fuerint mutare partes; ii fuere ad duo millia, equites pars major. Mali eventus, præsertim ubi evidens est negligentia, solent rumores parere. Idem hic experimur, accedunt factiones, ut illa nuper in Mombazonis negotio inter domum Condæam et Lotharingicam, unde orta die Saturni, qui abiit, pugna singularis inter Ducem Guisium et Coliniacum, Castilionæi filium. Provocaverat Ducem Guisium Coliniacus, misso ad id Lestradio, eo qui inter Galliam et Bataviam sæpissime

me cum mandatis commeat, et gratiofus eſt apud Principem Arauſionenſem, Coliniaci propinquum, natum quippe ex matre Caſtilionæa. Pugnatum eſt claro die in urbe, in area quæ regalis dicitur, dimicantibus quatuor; nam Coliniaco aderat idem ille Leſtradius, Guiſio nobilium domeſticorum unus. Bis cecidit Coliniacus, poſt ſecundum lapſum exarmatus a Guiſio eſt, et plano enſis percusſus, cum monitu caveret ſibi Principes provocare. Dux Aurelianenſis ſuſtentat Ducis Guiſii cauſam, cujus antehac ſororem uterinam, nunc conſanguineam, in matrimonio habet. Coliniaco favet Dux Anguianus; ſed ejus impetus reprimit prudens Princeps Condæus. Sunt hæc auguria majorum malorum, qualia antehac inter easdem illas domos, olim vero inter Aurelianenſes et Burgundos adparuere. Episcopi Bellovacenſis, quem Card. Mazarinus ex aulâ ejecit, cognato Buzanvalio imperavit Regina Regens, ut ſe a centuriâ prætorianorum abdicaret. Ubi nunc ſit hoſtium ille exercitus, neſcimus. Sed dicitur eſſe Merciacus ad Schiltachum, ad Durlachum Carolus Dux, Hatzfeldianorum pars major in Franconia. Vult Dux Aurelianenſis habere jus eligendi præcipuos militiæ Præfectos, tanquam ſummus militum Imperator. Princeps Condæus dicitur in Burgundiam ſuam præfecturam iturus. Cum Comitatu Burgundiæ prolatatæ ſunt induciæ ad annum ſequuturum. Veneti legati extraordinarii abiere. Gorinus adhuc ſe in publico non oſtendit. In Rouargis Arx Naga, quam tenuerunt ſeditioſi, dedita eſt

Re-

Regi. Baptismum accepit Ducis Anguiani filius, fuſceptore Card. Mazarino. Nomen ei Henrico Julio, cognomen Duci Albreto. Milerajus hic eſt et bene excipitur. Pergit Regina regens mederi annonæ malis. Quinquaginta edicta pecuniaria in partu ſunt. Rumor eſt, ſed incertus, de conſcribendis novis militum XXV millibus. In Italia Barberiniani ad caſtellum Urbanum male habiti a Venetis, contra a Barberinianis Ethruſci. In Hiſpania Franciſco Meneſio abſciſſæ cervices, quod minus parens fuisſet imperiis militaribus. Piccolominæus a Rege Hiſpaniæ permisſum petiit, ut ſibi ire liceret cum haſta tantum gregarii ad obſidium Monſonis. Rex dixit exſpectandum ei donec ipſe, Rex ſcilicet, eodem eat pari habitu, adjutor ei futurus. Id velut ſummi honoris Piccolominæo habiti teſtimonium per Hiſpaniam vulgatur. Creditur autem Johanni Auſtriaco notho dari præfectura Belgicæ. Piccolominæo autem ibidem is locus, quem Marchio Aytona ſub Cardinali Hiſpano habuit. Naves longæ ab Hiſpania, Neapoli et Sicilia ad oram Catalaniæ profectæ ſunt, ut Roſis victum adferant. Portugalli Tingum etiam nunc tenent, quanquam Hiſpani ad eam urbem recuperandam nihil omiſere. Hiſpali initus numerus eorum peregrinorum, qui ibi vivunt e Portugallia, Gallia, Anglia, omnibusque adempta arma. Uxor Ducis Medinæ Sidoniæ pro libertate mariti ſui laborat non ſine bona ſpe. Roma urget Regem Hiſpaniæ, ut in hoc, quod in Italia eſt, bello trecentos lancearios ſuppeditet ex

lege feudi Neapoleos. Rex Hifpaniæ dicit privatas esfe controverfias, ad quas tuendas fe non teneri, fed ad pacem ferio fe laboraturum. Ex Mediolanenfi tractu milites multi fugiunt, inde et nomen dant militiæ aut Barberinorum aut oppofiti foederis. Fuit apud me is, qui huc misfus eft a Landgravio Darmftadienfi, tradiditque mihi fcripta pro caufa ejus familiæ contra familiam Casfellanam in re Marpurgica. Recepi, me ea lecturum, et fcripturum in Suediam, fi quid forte inde mihi mandetur: interea fermones meos generaliter direxi ad communem concordiam. Mitto exemplum fcripti fatis ingeniofi, quod legati alii magno ære redemerunt, quafi ex arcanis publicis emanasfet, cum lufus fit alicujus non ignari temporum, haud indignus legi. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{IX}}{\text{XIX}}$ Decembris MDCXLIII.

H. Grotius.

Saxonici, qui Francofurti funt, prætulere præ fe gaudium, ob cladem Gallis illatam. Bavarici ad gravitatem vultum ac verba compofuere, quafi dolentes. Ajunt illi, merito caftigatam fuperbiam Card. Mazarini, qui Reginæ regenti dixerit, fe ita humiles facturum Auftriacos et Hifpanos, ut fi de pace chartam per curforem fuum mittat Monafterium, libenter fint accepturi. Foeminæ captorum ad Danubium liberæ dimisfæ funt. De filio meo, qui ibi militabat, nihil dum cognovi, quod miror. Hispa-

pani exſpectant claſſem ab America, et naves bellicas mittunt obviam. In Portugalliam dicuntur advenisſe e portu Januarii in Braſilia octo et viginti naves, ferentes XIV M. ciſtarum Sacchari: et ab India Orientali navis magna, earum ex numero, quas Galeones vocant. Crepicordium in Italia rediit in poteſtatem Barberinorum. A Plumazzi oppugnatione rejecti Mutinenſes.

L I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Res Aulicæ hic manent, quo ſunt loco. Cardinalis quantis poteſt præſidiis vitam ſuam munit. Mareſc. Vice-Comes Turenæ cum VII millibus, quidam numerum augent ad IX millia, incumbit in Comitatum Burgundiæ. Ad Ducem Carolum miſſi Mauronus, et iterum Maurerius, ut ei perſuadeant, ut quieti ſe det, et exercitum tradat Regi Galliæ. At qui eum norunt, non putant eum id facturum, ut qui ex bellicis tributis non minus capiat, quam olim ex Lotharingia et Barrenſi Regione capere ſolebat. Tum vero Cantecroja, quæ pro uxore ejus ſe gerit, velit etiam ſuis proſpicere, id eſt efficere ut ad liberos ſuos ducatus tranſeat, non ad Nicolaæ, ſi

ſi ea forte Carolo ſupervivat, aut ad Franciſci ſtirpem. Pontifex probavit pacem a Bechio præformatam, ſed non vult cauſam hanc dici Barbarinorum, verum ſedis Apoſtolicæ. Video tamen prudentes ſic exiſtimare, futuram ibi pacem, neque eo minus manſuros cum exercitibus eos, qui bellum hoc ſuſcepere. Partem tamen de illis copiis Galli ſperant ſe poſſe ad ſuos uſus transducere. In Catalania Rex Hiſpanus dicitur duos facere exercitus, alterum ſub Piccolominæo, alterum ſub Silva. Motta Odincurtius non æque cito paratus fore. Venit huc a Portugallia extra ordinem Legatus. Regis Angliæ res, quatenus humano judicio res futuras asſequi posſumus, non optimo ſunt in loco. Nam Scoti, amne Tino, qua parte non exſpectant, tranſito, novum Caſtellum circumſident: deinde et viam ingresſi ſunt Oxoniam verſus; dicuntur jam esſe illis in locis quinque equitum M., venire ſex alia M. Conſtituerant Parlamentarii Londinenſes, (nam et eos, qui Oxoniæ ſunt, Parlamenti partem esſe vult rex, illi nolunt,) nulla admittere colloquia, niſi Rex Londinum veniat. Sed Scotorum Legati, qui ibi ſunt, et ſine quorum conſilio nihil agunt Parlamentarii Angliæ. nimis hoc calidum exiſtimarunt, putantes non defugienda et alia ad colloquia loca. Carlileus, inter aulicos eminens antehac, de Regia fortuna deſperans, ad Parlamentarios ſe adplicuit. Proteſtantes, qui in Hibernia ſunt, maximam patiuntur victus penuriam. E Francofurto docemur, valde ibi conſternari animos per res Suedorum adverſus Danicos,

me-

melius, quam cogitatum fuerat, ſuccedentes; præterea per creſcentes Ragoskii copias: quod obtentum dedere Imperatori ſcribendi ad ſingulos Principes et civitates, ut nova collatione ſibi ſubveniant. Oſtendunt autem Cæſariani, bonam ſibi esſe ſpem de mutatione conſiliorum in aula Turcica. Diſcimus iisdem ex locis, et Hatsfeldium et Bavaricos ſe parare expeditioni. Uberlingæ deditionem a Bavaricis brevi ſperari, prodiisſe novum librum asſertionum Electoratus Bavarici. Magnam vim victus comportari Heidelbergam, famam ibi ſpargi a D. Konigsmarchio, legatos Bremenſes, qui a Lubecenſi veniebant conventu, exutos ſarcinis, ut, quod ſecum ferebant, acta inſpectarentur. Robelledus Hiſpanus, Frankendaliæ præfectus, Falcoſteinii exitus aditusque claudebat. Bavari exercitus creditur fore, ut antehac ſcripſisſe memini, ad XVIII millia. Facient Hungarici iſti motus, ut multa mutanda ſint in conſiliis Pasſavii captis. Regina hic Regens urget Sorbonam, ut pronunciet ſuper dogmata Doctoris Arnaldi, qui adhuc occultat ſe, interim ſcripto edito ſubjecit ſe, et ſententias ſuas Eccleſiæ Romanæ, Pontifici, Epiſcopis catholicis, Archi-Epiſcopo hujus loci, et Facultati Theol. Pariſienſi. Data hic pecunia eſt ad muniendum curatius Marſale in Lotharingia; hic ineunte Majo copiæ omnes, quæ eo deſtinantur, futuræ dicuntur in Campania Picardiaque. Eſpernonius huc iterum vocatus non venit. Reginæ Anglicanæ poſtulata, ut huc ei venire liceat, prolatando eluduntur. In urbe Nanneti ſocie-

cietas erigitur ad navigationes Indicanas. Deus, Illm. et Excellm. D., Excis. Vis. det omnia profpera.

Lutetiæ $\frac{\text{xxiv Martii}}{\text{I Aprilis}}$ MDCXLIV.

Excell. Veftris fervire paratisfimus obligatisfimusque

H. GROTIUS.

Controverfiam inter Chavigniacum et Coignæum, ob Ducis Aurelianenfis Cancellariatum, ad fe tranftulit Choifiacus, pretio dato utrique. Fama eft, legatum hunc iturum, qui in Anglia fit ordinarius. Refidentem autem Poloniæ legatum hic fore. Quæruntur milliones IV ex novis ædificiis, ex Secretariis Regis minoribus illis, et ex Notariis. Audimus etiam Cæfarianos moliri obfidia et Lipfiæ et Naumburgi. In Italia, quanquam magna fpes eft pacis, non definit curari bellum. Misfa præfidia et belli inftrumenta a Roma centum Cellas, Viterbium, Perufiam. Jusfæ et confcribi novæ centuriæ XL Turmæ XX. Conftantinopolim, fine anni qui exiit, tributa folita attulere Walachi, Moldavi, Tranfilvani. Georgius Sleisfemius, ab Imperatore misfus, in cuftodia primum habitus, ob infidias Strigonæ ftructas, deinde dimisfus fuit. In Anglia, cum de captivis permutandis ageretur, et Rex fuos etiam liberos fibi reddi vellet, Parlamentarii dixerunt, eos non esfe captivos, et folicitam curam geri pro animabus

bus et corporibus ipſorum. Et Joh. Waertii et Lamboji dilectus tarde procedunt ob pecuniæ penuriam.

L I I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Copiæ movere ex omni parte ſe incipiunt, proditurae in apertum ineunte Majo, cum pabula aliqua ſuppetent equitatui. Maximum omnium exercitum habebit in Picardia Dux ipſe Aurelianenſis, ad XXIV peditum, ut dicitur, VII equitum millia. Conjectura eſt, S. Audomari urbem aut Cameracum peti. Batavi, ſi nihil agent aliud, partem hoſtium in ſe attrahent. Dux Anguianus in Campania ſuum habebit exercitum. Marechallus Vice-Comes Turenæ intravit Burgundiæ Comitatum. Minores exercitus aut huc aut illuc ſe verſuros, ut occaſio tulerit, forte et ad ſeditiones impediendas futuros uſui, ducent Gasſio et Villa Regius. Pr. Thomas bonam ſpem habuit ad capienda loca Mediolanenſium agri, quorum multa parum erant defenſa ob pecuniæ penuriam: ſed ei rei proſpexit, quantum potuit, Hiſpanus, misſis eo CL millibus ſcutatorum a Neapoli, promisſis vero ex Hiſpania D millibus, a Neapoli et Sicilia tribus Florenorum millionibus, ſed tarda omnia.

In

In Catalonia Hiſpani Flixum obſesſuri putantur; contra autem Barcinone magni paratus fieri ad obſidionem aliam, quæ bona ſpe non carebit, ſi verum eſt quod dicitur, Regem Portugalliæ in Caſtellæ regnum irrumpere. De Duce Carolo variant rumores: fuerat ad Falcoſtenium recuperandum; at poſtquam misſi e Gallia ad eum venere, dicitur et inde et a Rheni ripa copias ſuas ad Moſellam revocasſe, paratus autem esſe eas Gallis tradere, et ſimul Lamottam Regi Galliæ oppida, quæ tenet, relinquere, dum ipſe usque ad tempus pacis communis fructus de agris percipiat, ſponſorem pro ſua fide daturus Ducem Aurelianenſem. Verum alii, eo ipſo tempore, misſum ajunt ab eo Villam in aulam Bruxellenſem, diſpectum, an inde conditiones posſit adipiſci opimiores: ita ut recte judicantibus multum adhuc ea in re ſit obſcuri. Palatina domus nolit hanc rem in antecesſu componi, quod ſperet, ſi in integro maneat, duas iſtas magnas et non multum disſimiles controverſias paribus admodum legibus posſe componi. Sexcenta Florenorum millia hinc misſa ſunt in Leodienſem tractum ad conſcribendum ibi pro Gallia militem. Mille autem et octingenti equi ſatis magno pretio coëmti mittuntur ad Vice-Comitem Turenæ. Imperator creditur cum ſuis tres magnos exercitus hoc anno habiturus ſub Gallasſio, Hatzfeldio, Merciaco: minores tres ſub Gotzio, Lamboio, Waertio. Ex Francofurto litteræ dicunt Hatzfeldium cum aliquo a Bavaris auxilio ire ad fulciendas res Daniæ nutantes. Saxones

id

id agere, ut commeatus Lipfiæ auferant. Editum ab Imperatore libellum contra motus Ragoskii, et eorum qui ipfum fectantur. Tubadelium fe parare, ut Falcofteniæ arci fubveniat. Comitem Swartzenburgicum iturum ad pacis colloquium loco Auerfpergii, qui aliam dignitatem fit adepturus. Nec tamen deesfe qui putent, [omnes inde legatos Imperatoris revocandos, ut Gallorum longæ et fuperbæ, ut ibi ajunt, cunctationi par referatur. Aliunde vero fcribitur, Bavarum tergiverfari de commodando in ufum Dani milite; malle fe vires omnes collectas habere ut Brifacum obfideat, dum pro præmio cedat ipfi Ratisbona. Vicisfim Imperatorem tricari in mittendis Electori Coloniæ quæ petit auxiliis. Sex equi, pecuniâ onerati, hinc Bafileam pervenere. Vice-Comes Turenæ, de quo dicere coeperam, in Lotharingia tres equitum alas reliquit, cum machinis quinque aut fex, infirma Comitatus Burgundiæ oppida fperans fe capere posfe. Et Efpernonii res, et permutatio, de qua agi coepit cum Duce Bulionio, in bona fpe funt concordiæ. Eft hic extraordinarius a Mantua Legatus. Dux Longovillanus itineri ad pacis colloquia fe parat in menfem Majum medium. Eft et novus hic a Portugallia legatus. Cafei aliquid et lardi in Uberlingam per lintres invectum dicitur. Facultas Theologica hujus urbis nondum refponfum fuum Reginæ dedit fuper dogmatibus Arnaldi. Jefuitæ autem queruntur de decreto contra fe facto in Parlamento Rhedonenfi. In Anglia qui cum Rege funt proceres accufati a

 Lon-

Londinienſi conventu violatarum legum; vicisſim illos læſæ Majeſtatis nomine traducunt: ita pulchris nominibus itur in communem perniciem. Glocestriæ obſidium deſeruere Regi. Novum Caſtellum a Scotis premitur, ſed lente. Provinciæ quædam, minus bene ſperantes de Regis fortuna ob Scotorum vires et Regis Daniæ incommoda, ſuos ab Oxonia legatos revocant. Synodus, quæ Londini eſt, litteras ut ad alias gentes ſcripſerat, ita etiam ad eos, qui e Gallia ſpecioſo nomine reformatos ſe vocant. Eas litteras Miniſtri qui hic ſunt ejus partis, ita ut ante hac ab aula jusſi erant, uni de præcipuis Regis Secretariis tradidere. Retentæ ſunt litteræ in concilio Regio, neque iis qui tradiderant, redditæ. Archi-Epiſcopus, cum poſtremum in Parlamento auditus, et inde in Turrim reductus esſet, oſtendit ſe nihil non triſte ab ejus generis judicibus ſperare. Parlamentarii illi et Suedicæ ſocietatis rumore ſparſo ſe venditant. Video ego ſatis, posſe non parum maritimarum virium inde Suedis accedere, et ipſorum vicisſim ope Suedicâ adjuvari ad commercia liberiora. Sed tota illorum cauſa ſive religioſa, ſive ad imminutionem juris Regii, multum ni fallor a Suediæ inſtitutis et utilitatibus diſtat.

Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{xxxi Martii}}{\text{ix Aprilis}}$ MDCXLIV.

H. Grotius.

Proponunt Galli, tanquam rem aptam ad pacanda Regna Suediæ et Daniæ, ut arcibus duabus ad fretum

tum Orisondæ imponantur Helvetii milites, nempe ex illis, quos Gallia per largitiones in publicum et privatum obnoxios habet. Interim Regina R. mandata dedit suscipiendi suo nomine infantis, quem Regina Poloniæ est paritura. De Castella et Portugallia nihil aliud in re est, quam mutuæ velitationes in finibus. In Catalonia sunt qui putant Hispanos Flixiæ minatos, sed cogitata illorum esse contra Ilerdam. In urbe Arausionensi auctum præsidium, machinæ impositæ moenibus, portæ quædam obstructæ rumorem spargunt, quasi Pr. Arausionensis a Gallia sibi metueret (*a*).

L I I I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

P. S. de $\frac{\text{XIII}}{\text{XXIII}}$ Aprilis (*b*). Intelligimus depulsos Castellanos ab oppugnatione Seguræ; in eorum finibus structum castellum a Portugallis ad vallem Mulæ. Viennam venisse legatos a Dano Rakoczio. Ex Anglia Hibernos et Protestantes operam suam Re-

(*a*) Litteræ, verbotenus ejusdem argumenti ac præcedentes, etiam Axelio Oxenstiernæ scriptæ fuere.

(*b*) Litteræ ipsæ mutilatæ sunt.

Regi polliceri. Pr. Roberti exercitum auctum novem millibus. Oppidum et portum Alderamæ captum a Regiis. Contra a Scotis captum montem imminentem Novo Castello, et oppidum Duranium, et multos ibi equites peditesque; Parlamentarios vero rejectos, cum obsiderent arcem Cornettam in insula Greneseja.

L I V.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Oratio, quam die Martis de re Danica apud Reginam R. habui, plane conformata fuit ad ea, quæ in Edicto Reginæ Dominæ nostræ continentur. Præmisi excusationem, quod nullæ e Suedia ad Reginam R. venissent litteræ, viis terra marique incertis. Dixi, ante nos Regem Daniæ bellum gessisse in Germania: sed quomodo id gesserit posueritque, me non narraturum, cum res sit cognita. Successisse in eum laborem Regem Gustavum immortalis memoriæ, et Reginam nostram, quibus magna decora Deus propitius concesserit, gnarus bellum ab eis geri animo quærendæ pacis, non cum privato commodo, sed pro bono orbis Christiani, et præsertim amicorum. Invidisse nobis Daniæ Regem,

gem, omnibusque modis partim apertis, partim clandestinis, in id laborasse, ne aut bellum nobis melius quam ipsi procederet, aut pax ei contingeret gloriosior. Ejus rei causa conatum eum subducere nobis loca infessa, copias, et copiarum alimenta. Ubi ad eum edicti locum veneram, qui est de novis hostibus in nos concitatis, dixi, id certo compertum Reginæ nostræ, neque vero Regem Daniæ in litteris suis suorumque Orationibus ad Ordines Batavos id ausum negare. Quod Marechallus Torstensonius in Holsatiâ hyberna sumsisset, in eo usum ipsum communi bellantium jure. Holsatiam partem esse Germaniæ, cujus tributis sustentatæ sint opes Imperatoris. Eodem jure usum Regem Daniæ, cum bellum in Germania gereret; eodem uti Reges omnes. Regem autem Daniæ belli novi ac non indicti fuisse inceptorem, cum vires Daniæ terrestres ac maritimas in milites Suedicos vertit hostiliter: ita impositam D. Torstensonio necessitatem invadendi etiam Danici imperii loca, unde nostris nocebatur. Et quia etiam ex Scania, Blekingia, Hallandia, olim quidem Suedici imperii partibus, sed nunc a Dano infessis, malum in Suediam exspectabatur, provide Reginam nostram et ad præcavendum dedisse exercitum Mareschallo Hornio. Addidi, hæc tam necessario suscepta consilia nihil obstitura, quominus in Germania aut bellum fortiter geratur, aut pax æquis legibus fiat. Jam per Duglassium exemtam periculo Grosglogaviam et oppida alia. In Misnia vero junctis Conigsmar-

chii cum Axelo Lillia copiis, non tantum Lipsiæ prospectum, sed et longe submotos tum Imperatoris tum Saxonis milites. Ad pacem quod attinet, scripsisse Legatos Suedicos ad Germaniæ Ordines, hanc novam cum Danis controversiam non fore impedimento, quominus colloquia procederent, et æqua omnia admitterentur. Curam pacificandi, quam factis hostilibus a se abdicasset Rex Daniæ, susceptam a Rep. Veneta, non dubium, quin prudenter et magnanime functurâ istis partibus. Edictum Reginæ Dnæ. nostræ de hoc bello, versum latine, hic edidi, et in omnes partes mitto, ut Suedicæ genti maneat antiqua non armorum tantum, sed et justitiæ laus. Dux Carolus novas huc mittit conditiones, diversas ab eis, quæ ad ipsum missæ fuerant. Dubito, an minus æqua proposuerit, an vero, qui hic rerum potiuntur, ejus in Galliam adventum metuant. Itaque ille cum Hispanis, qui in Palatinis terris se tenere solent, Falcostenium recepit, pro loci tenuitate bene defensum, centum nempe et viginti ictibus machinarum verberatum est. De Uberlinga spes abiit. Hatsfeldiani partim a Fulda in superiorem ivere Hassiam, partim contra Conigsmarchium ire dicuntur. Maresc. Vice-Comes Turenæ, cum de Falcostenio accepisset nuncium, retro cessit. Pergit loca capere in Burgundiæ Comitatu: sed par futurus non creditur Bavaricis copiis, quæ perventuræ creduntur ad XX millia. Brisaci quæ fuerat militum seditio, putatur excitata per Erlachium, ut Ossenvillam, quem maxime illa se-

ſeditio petebat, ex ea urbe depelleret, et ſic æmulum a ſe amoveret. Pars Lotharingici militis ivit ad loca circa Aquisgranum; ibi late paſcunt. A Francofurto diſcimus, eos, qui ibi ſunt, ab Imperatore, Bavaro et Saxone mandata habere manendi. Cæterum Suevos et Franconicos ejus eſſe animi, ut ſuos mittere velint ad colloquia illa, quæ coepta ſunt Monaſterii et Osnabruggi. Eosdem Franconicos laborare in id, ut tributis ex parte leventur, quæ gravia pendere coguntur Bavarico militi. Arnaldus Sorbonicus alterum ſcripſit librum, cui titulo fecit: *Traditiones de poenitentia*; eum inſcripſit Reginæ R., quæ dicitur coepiſſe melius de eo ſentire. Univerſitas autem alterum obtulit libellum Parlamento, in quo ajunt dogmata Hereavii Jeſuitæ, ad mores malos tectorio illinendos aptiſſima, non eſſe ejus unius, ſed et Stephani Baudii et totius Societatis Jeſuiticæ, quæ tales libros neque eſſe prohibuerit, neque editos reprehenderit. Coepit, die Jovis exacto, diſceptari apud curiam Parlamenti cauſſa ducis Anguiani nomine uxoris contra Esquilloniam. Longum erit litis ſufflamen. Dicuntur moveri res in Vivareſio et vicinis locis, ſuſpectique ſunt non tantum Principes exſules, ſed et pars Reformata: qua de re cum Card. Mazarinus Gaſſioni loqueretur, dixit is ſcire ſe, paſtores quidem reformatos patientiam inculcare populis (quod tamen facere non ſolent, niſi ubi abſunt vires) ſed tam multis in locis Edicta pro ipſis facta lædi, ut metui poſſit aliquid mali. Rogavit Cardi-

dinalis, ut si quid querelarum haberent, eas ad Ducem Aurelianens. et ad se deferrent; curaturum se, ut res ipsorum ex æquo curentur. Regina, cum eam conveni, erat vultu tristiore. Magna pars Prætorianorum militum jam ad fines abiit Belgicos; in Catalonia frigere bellum dicitur, mari eo mittuntur milites a Narbone. Dux Bulionius et Vindocinensium apud Helvetios sunt. Baro Sabranus it Residentis nomine in Angliam, ubi Comes Novi Castelli Dux Regius cladem accepisse dicitur tantam, ut tria millia perierint, captæ sint machinæ. Regina autem Angliæ contra rumores novos vivit, et, sub specie Hibernici itineris, creditur in Angliam appulsura, ut sic Gallorum tricas, neque negantium neque concedentium quod petit, abscindat. Deus &c. $\frac{XX}{XXX}$ Aprilis MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Ossenvilla jam Bresaco abscessit, et est Colmariæ. Milites, apud Leodicum a Gallis conscripti, eunt ad Mareschallum Turenæ; in itinere pars magna diffluit penuriâ stipendii et metu famis in locis remotis. Quinquaginta machinæ et cæteri apparatus, multum ex armamentario hujus urbis ad fines abiit. Dux Anguianus Campaniæ præfecturam adeptus est, datis Mareschallo Hospitalio ducentis mille libris Francicis. Cepere Dunkerkani naves duas a Machlovia, quæ est in Britannia Aremorica, in quibus erant pecuniæ ad $\overline{\text{CCC}}$as mille libras Francicas. Dux

Dux Bulionius litteras misit ad Reginam R. et Ducem Aurelianens., nihil se fecisse, nisi ab ipsis excitatum, ipsorum caussa turpe ipsis fore, si, quod illi rectum ducunt, sibi vertatur crimini. Scripsit et ad Cardinalem: dicit autem se abiisse, ut absens ostendat nulla sibi esse consilia talia, qualium præsens arguebatur, aut certe suspectus fiebat. Universitas Lovaniensis Parisiensi scripsit, ne damnare velint sententiam Jansenii Iprenensis Episcopi, nunc mortui, quam sententiam in negotio de prædestinatione et annexis ajunt eandem esse, quæ fuit Augustinis, quod negant alii. Dicitur exercitus Regis Angliæ esse ad XVI M. peditum, VIII Equitum: Essexii autem et Wallerii copias inter se junctas ad XXVIII hominum millia.

L V.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI,

Profecti sunt Dux Aurelianus et Anguianus et minores Duces ad suos quisque exercitus. Videbimus quid coeptaturi sint, et quid in eorum gratiam Batavi. Ex Catalonia qui veniunt castrorum proceres, nihil ibi boni Gallis augurantur. Francofurti quæ disseruntur, hæc sunt, elusa Hatsfeldii consilia,

ex quo Coningsmarchius Hasſicis Geiſii ſe conjunxit, et Stalhanskium exſpectat. Cæteros Hasſicos ſeparatim nihil acturos, niſi a Gallicis copiis ſuſtententur. Circulatoribus Weſtphalis, quibus præerit Glenius, mutua data a Bavaro ducenta M. Imperialium Thalerorum: ab eodem eidem promitti militum auxilia, poſtquam capta erit Uberlinga. Ducem Lotharingum Hamburgi esſe, copias ejus ad Moſellam. Imperatorem non obſtare, quo minus is Dux, bello ſe eximens, ſua bene collocet, ut idem faciant civitates. Spiram, Wormatiam, Landavium ab eodem Duce invitari, optante id vel maxime collegio judicum Spirenſi. Omnes etiam Cæſarianos et Bavaricos cenſere omni modo alienum bellum inter Suedos et Danos; Saxonem vero pacis cupidum queri, quod lex de oblivione anteactorum tot disputationes recipiat, et quod multi clasſicum ferociter canant, nihil interim aut parum contribuere volentes ad belli impendia. Venerunt jam Francofurtum litteræ Legatorum Gallicorum, tum ad alios tum ad Epiſcopos Bambergenſem et Wurtsburgicum, et civitatem Nurembergam, ut ſuos mittant cum agendi poteſtate ad conventus de pace. Rumores de Turca diverſi erant, aliis bellum ab eo præſagientibus, aliis vero ſperantibus per legationem et munera averti posſe a belli conſiliis iſtius aulæ purpuratos, homines ſæpe venales: quod ſi fiat, ſimul quieturam illam a Racozio procellam. Quæ vero hic diſcimus, hæc ſunt. Dilectus Gallici, facti in Leodico, partim huc venere, interim adhuc alios le-

legi milites in illis locis. Beckium in Lucemburgico esse, quasdam tamen Hispanorum copias apparere ad Picardicum finem. Gallicos milites esse Chaumaci, Vitriaci et Retelia et vicinis in locis. Duci Aurelianensi adfuturos Voluntarios nobiles ad bis mille. Lustrari exercitum, qui Ducis Anguiani futurus est, inter Atrebatum urbem et Bapalmam ad XX millia. In Catalonia Mottam Odincurtium cum eis, quæ jam accepit, supplementis, habiturum XII peditum, equitum quatuor M. Manere inducias inter Ducatum et Comitatum Burgundiæ. Hispanos colligere exercitum in partibus Belgicis Galliam spectantibus ad XXVIII hominum millia. Regina R. videtur de Card. Mazarini consilio hospitium ad tempus captura Ruellæ in hortis Esguilloniæ, cujus causam Parlamentariis judicibus commendat; obstetrix tunc missa est ad Angliæ Reginam, quæ nescitur Bristoliam an in Hiberniam iverit propinqua partui, quo mallet in Gallia exsolvi. Venere huc a Racoczio litteræ, auxilia hinc et commendationem rerum suarum apud aulam Turcicam petentes. Duæ naves earum, quas Galeones vocant, per negligentiam curantium apud Tolonum igne perierunt. Dux Bulionius præfecturus dicitur eis copiis, quas pacis tempore Roma ad suam suorumque tutelam retinebit. Bossuvia, Ducis Guisii dicta uxor, nunc in Hollandiam repulsata, queritur id matrimonium sibi stare ducentis scutatorum millibus. Et certe Guisiam adparet in ære aliquo alieno esse, quia suppellex centum millia scutatorum ve-

venit. Dicitur autem Dux Guisius ad Annam Mantuanam retulisse animum, ita ut et ei dederit imaginem Bossuviæ et armillam ab ea acceptam. Ita hic de matrimoniis luditur. Nihil aliud nunc habeo, Illustr. et Excell^mi^. D^ni^, nisi quod Deum precor, ut Excell. V^is^. det omnia prospera. $\frac{\text{XI}}{\text{XXI}}$ Maji MDCXLIV.

H. Grotius.

Discimus jam, Ducis Caroli copias ire partim Namurco, partim alia via, ut se jungant Hispanis. Regem Hispaniæ transisse cum bono exercitu Cineam amnem, addunt quidam et Sicorim; ab eodem Rege permissum Thomæ Principis uxori abire ex Hispania quo velit; atque ita liberatum Pr. Thomam, si velit, a fide, quam Gallis dedit contra Hispanum. Præter oppida Belgica, de quibus obsidendis hic rumor est, adjungunt alii Valentinianos, Insulas, Duacum. Comitissa Bossuviaca in Brabantiam quam in Hollandiam redire maluit. Mittitur hinc ad Racoczium Tribunus Cargrossius. Sorbona et ipsa litem incipit cum Esguillonia, quod ei legatam Scholæ ejus ædificationem non satis magnifice implere cupiat foemina præparca. Baro Bellifortius Viennæ detentus dicitur, quod arcana mandata a Belgis, qui sub Hispano sunt, proceribus, ad Archiducem Leopoldum adtulisset; in D^næ^. Ducissæ Aurelianensis cubiculum jactatæ sunt chartæ, ne maritum abire pateretur, non nempe rediturum

rum. Dux Guifius aderit in exercitu Duci Aurelianenfi voluntarius adjutor. Exercitus Marefchalli Turenæ luftratur ad Barrum Ducis; eft autem fama, velle eum transgredi Rhenum, cui famæ vix credo. „ Accepi litteras Illmi. et Excellmi. legati
„ D. Baronis cum exemplis Procuratoriorum in-
„ ftrumentorum, pro quibus Excellentiæ ipfius fub-
„ misfe gratias ago. In Cæfariano non video quid
„ defiderari posfit. Hifpanicum Galli non injuria
„ accufant: poteftas nempe, quæ pure dari debebat,
„ adftringitur conditionibus ambiguis, per quas fa-
„ cile fit effugium femel acta improbare volentibus.
„ Dignitatem Regni Suedici magnifice defendi læ-
„ tor; eft id necesfarium, maxime apud Gallos,
„ alios Reges præ fuo fpernere folitos."

L V I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenfem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Dux Aurelianenfis Gravelingam obfidet, bene capto tempore, dum Rex Angliæ et Daniæ, plane nolentes Flandriam Gallis accrefcere, domi negotium habent ita grave, ut externis fe mifcere non posfint. Habet Dux fecum viginti ferme hominum millia; pluribus et opus eft, ut uno vallo includat

op-

oppidum, et caſtellum non minus firmum oppido. Dux Anguianus apud Virodunum eſt. Sarcinæ ab eo præmisſæ præda hoſti fuere. De Catalonia evenit quod præſagieram, ingens damnum acceptum eſt. Dum Ilerdam adverſus obſidionem, quam parari audiebat, obtegit Motta Odincurtius, tranſiit interim Sicorim amnem exercitus Regis Hiſpaniæ ad XVI millia. Motta Odincurtius, qui partem tantum hoſtilis exercitus venisſe arbitrabatur, obviam ivit; equitatus ejus illico cesſit, peditatus cæſus aut captus eſt: tria M. dicunt qui minimum, ſex qui plurimum. Ilerdæ partim ex vetere præſidio, partim ex illis quos illuc fuga tulit, quatuor esſe millia dicuntur, ſpe exigua ut diu tutari oppidum posſint. Villaregius cum tribus militum millibus alia totidem ex Languedocia, quæ in ſupplementum cladis mittuntur, ſerius eo pervenient, quam ut damnum vitari posſit. Adeſt et alius metus, ne Catalani, pertæſi Gallica imperia, locorum quæ tenent traditione, gratiam ſibi veteris heri redimant. Ex Uberlinga exiere milites inter trecentos et quadringentos. Bavarici autem et Hohentwili aditus exitusque obſepiunt, et obſidium moliuntur aut Neoburgi aut Friburgi, non ſine metu Helvetiorum Proteſtantium. In Italia qui misſionem accepere milites eorum pauci Gallicam, plures Hiſpanicam ſumunt militiam. Paupertas utrinque par et Pr. Thomam, et Mediolani præfectum adhuc otioſos tenet. Francofurti in conventu lectæ non ſunt D. Davauſii litteræ: queruntur omnes a Gallis moras

nec-

necti, tres menſes abituros, priusquam caput rei attingatur. Nolunt Electores legatos ſuos Venetis cedere. Urget Imperator, ut lex oblivionis, ita ut nunc re concinnata eſt, ad viduam Hasſicam mittatur, ipſaque ſic ad pacem invitetur. Racoczium ajunt queri, quod Suedica arma, quorum viciniam ſperabat, alio vim ſuam verterint. Comite Buchaimo ſe excuſante de legatione ad Turcam, aliis ea imponitur. Francones monuit Bavarus, ut Hatsfeldii hoſpitia patienter ferat. Creditur ibi Daniæ Rex illigatus novo foedere cum Imperatore et ſociis ejus, ut bello ad finem usque pariter inſiſtant. Creditur non multum effecturus Mareſc. Vice-Comes Turenæ, niſi in partibus inferioribus aliis exercitus Gallorum aut Suedorum una cum Hasſis ſe moveat. Coningsmarchius Erfurti esſe credebatur, magno relicto Lipſiæ præſidio; ad Marburgum Geisſius. Roſa a Melisſæ obſidio abierat. Regina Angliæ ex Briſtolio Exceſtriam venit, propinqua partui. Eboracum magnis copiis obſident Parlamentarii et Scoti. Limam Pr. Mauritius. In Hispania dicitur Marchio Taracuſæ habere contra Portugallos XX millia militum, et rebus uti proſperis. Exercitui Cataloniæ pro Rege Hiſpaniæ præeſt Philippus Silva. Marchionem Odincurtium vulneratum fama eſt, machinæ et ſarcinæ captæ, intra Ilerdam exigua victus copia. Interim Galli clasſem ad eam oram augent. Hiſpanici apud Belgas exercitus pars apud Dunquercam eſt. Beckius quatuor millia a Duce Carolo accepit, et quasdam habet

bet a Lambojo et Hatsfeldio copias. Gasſio Duci Aurelianenſis ſe junxit. Confert ſe eodem ad voluntariam militiam Dux Guiſius, acceptis ad hoc iter dono a Regina L. Francorum millibus; placuerat Borborgum eodem tempore cum Gravelinga obſidere, verum obſtat ſtagnans circum humus. Interim Galli vicina populantur, etiam reliquias veteris oppidi, cui nomen Caſtello Menasſiorum, et vi perrupere aggerem qui inter Airam et S. Audomari oppidum; habent et prope ad litus clasſem, quæ indies augetur; coepere opera fieri circum Gravelingam. Dicitur a Bavaricis verberari Blomberga. Mareſchallus Turenæ copias ſuas contrahit, et ſexies mille alios exſpectat, ducente Daumontio. Quingenti homines in Gravelingam penetrarunt auctum præſidium. Johannes Auſtriacus, qui Belgicam pro Hiſpano reget, tranſitum hac poſtulat. Sermo hic de tributo in carrucas; illud in ædificia nova impedimenta accesſit a Parlamento. Etiam Machinæ ad Mareſc. Vice-Comitem Turenæ mittuntur. Præfectus Mediolanenſis a Mutinenſi Duce accepit mille ducentos pedites, equites octingentos. Longviaco egresſi milites a Damvillerianis et Jamaicenſibus damnum accepere. Deus, Illuſtrisſimi et Excellentisſimi Domini, Excellentias Veſtras incolumes diu ſervet. Lutetiæ $\frac{\text{XXVI Maji}}{\text{IV Junii}}$.

Excellentiis Veſtris ſemper ſerviturus

H. GROTIUS.

Ru-

Rumores hic ſunt, intra dies non multos XVIII milliones ex Gallia in Italiam transmisſos. Magnam clasſem in Hiſpania parari. Barcam in Gallicia captam a Portugallis. Legatos Batavos ſuſpectos esſe Angliæ Parlamentariis, quaſi qui voluerint Regem Angliæ in Londinii urbem introducere.

L V I I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Cum ad rem pertineat, ſciri non tantum quæ comperta ſunt, ſed et quæ dicuntur, primum referam edi hic et quæ pro Suedis ſunt, et quæ pro Danis. Sed quæ pro Danis ſunt cum majore quadam propenſione, quod et ex editis antehac ſcriptis, et ex eo quod nunc mitto, apparet. Contra librum novum Bavaricum editus eſt liber novus pro domo Palatina, Streifio Scriptore, non indignus qui legatur, vel ob hoc quod a D. Camerario, D. Rusdorfio et aliis fuſe tractata compendio exhibet. Francofurti manet is qui fuit conventus, Imperatore et ejus fautoribus eo impenſius in id laborantibus, quod dicant injurioſas esſe in Imperatorem Gallicorum legatorum litteras, ejusdemque culpæ participes fore, qui talibus litteris morem gererent. Ajunt autem, qui ibi ſunt Cæ-

fariani, Rakoczium, clade accepta, retro actum ad propinqua Pasfaviæ, Turcarum nullos apud eum esfe ex auctoritate publica, fed fua tantum fponte. Sperari legationem, quæ menfe jam ingruente Viennâ ibit Conftantiam, non irritam fore. Id fi fiat, facilem fore et Racoczii ex Hungaria ejectionem, et bonorum ejus, quæ in Hungaria tenet, publicationem. Certe abiisfe a Filecenfi obfidione Racoczium, hic non minus quam Francofurti pro certo habetur. Populus tamen magno capitur Turcarum metu, quos non fine terrarum vaftitie ad Arrabonem urbem pervenisfe credunt, et quidem ad L millia. Dicebatur ibidem Hatsfeldius magnas habere fpes in domo Brunswicenfi: posfe eam fcilicet impelli ad refumenda et jungenda cum Saxone arma, prætextu illo, qui nunc in ufu eft, defenfionis circularis: neque de Lipfia obfidenda abiisfe confilia. Coningsmarchium nempe ajebant Erfurtum recesfisfe, nec quicquam posfe aggredi, donec ad eum tribunus Wirtembergicus cum copiis in antecesfum misfis fupplemento veniat: deinde, quod exfpectari putant, ipfe Torftenfonius advenerit. Venerat eodem rumor, quendam ab Avangario misfum ad Legatos Gallicos, qui nunciet, Rakoczium res acturum fuas in illico, amicorum vires in proximo viderit. Præterea valde offenfum fuisfe Electorem Bavarum, quod legati Imperatoris Electorum legatis, Monafterium misfis, carrucas nolint mittere obvias, eo quod dicant, Electores fubditos esfe Imperatoris, ideoque Bavarum pro legatione illuftri, quam mittere vo-

lue-

luerat ad Imperatorem ob mortem Reginæ Polonicæ, unum tantum misisse de suis domesticis. Ii vero, qui Francofurti sunt, minus obnoxii Cæsarianæ Aulæ, optant tamen litteras Gallicas scriptas fuisse verbis mollioribus; sed offendit Protestantes, qui ibi sunt, et eorum legatos, quod Romanenses sua seorsim habeant in domo Electoris Moguntiacensis, quæ Protestantibus non possunt non esse suspecta. Interim et ab Imperatore et ab Electoribus tribus promissa auxilia Daniæ Regi, dum et ipse spondeat nullam se pacem sine ipsis facturum, et, ubi ab armis Suedorum liberatus fuerit, daturum operam, ut Austriacæ domui redeant, quæ ei erepta sunt. Ducis Caroli miles Beckio se junxit, ipse, ut Romæ aliquo modo placeat, Santacrosam a se seposuit Hamburgi. Joh. Waertius a Polonia, ubi morsum eum fecit cædes in Merodio patrata, visum ivit Electorem Moguntiacensem. Bresaci tumultus sex militum supplicio ita repressus est, ut spem inde conceptam perdiderint Bavarici. Dicitur in Perside, exstincta quæ regnaverat stirpe, præsagiri motus civiles. Uberlingam deditam nemo ultra negat. Piccolominæus ad Ducatum est. Gassio inter Retelam et Guisam. Dux Anguianus inter Metim et Catalaunum. Villaregii milites, ad mille octingentos aucti, in Petrocoriis et Lemovicibus. At Dux Anguianus, qui Sommam transgressus est, cujus urbis obsidium agitet, incertum est: Sancti Audomari credunt plurimi. Cameraco ostendit se timere Bocquojus, quo ipse se contulit cum millibus militum qua-

 tuor.

tuor. D. Aumontius ſupplementa adfert Mareſchallo Turenæ, dum Roſa Melisſam in Comitatu Burgundiæ oppugnat. Induciæ nempe non ſunt generales, ſed tantum ad Ducatum Burgundicum et ejus Ducatus homines pertinet. Sunt et magni paratus Gallorum ad Caletum, unde quidam exiſtimant Gravelingam impeti ope clasſis Batavæ, ſimulque Borborgum. Certe ea res ſi ſuccedat, ſpes esſet, posſe poſtea, captâ Dunquercâ, Neaporto, Oſtendâ et Blancobergâ, totum illud litus eripi non hoſtibus tantum, ſed et hoſtilia ſæpe ibi agentibus Anglis et Danis, et liberos fieri a maris et ventorum regno militiæ ac litterarum commeatus, Gallos inter et Batavos. Hic magna tributa exiguntur de ædificiis novis, ingenti adminiſtrantium rapacitate, et edicto adverſus veſtes argento illitas. Ad exercituum alimenta panis militaris multum hic coquitur. Hoſtium urbes ad Rhenum, Spira, Wormatia, Landavia, Germesſenium, milite et rebus omnibus necesſariis firmantur. Ex Anglia abituri videntur legati Batavici, re nulla facta. Gliſcunt magis magisque acerbitates. Spes Regis eſt, posſe nobilitatem Parlamenti Londinenſium a plebejo ordine diſtrahi non levibus argumentis. Interim Parlamentarii Angli cepêre Lincolmam: iidem cum Scotis, dilata ſpe de oppido Novi Caſtelli, vires ſuas ad obſidendum Eboracum conferunt: Limam interim obſidente Pr. Mauritio. Rex Hiſpaniæ potens esſe in Catalonia dicitur, et ſpem eripuisſe Mottæ Odincurtio obſidendæ Tarragonæ, cujus rei causſâ Galli-

lica clasſis ad eum venerat. Ipſe autem, famâ ut credo favente, habere dicitur peditum Gallicorum octo, Catalanorum duo millia; equites Gallos quater mille, Catalanos quingentos. Sed, ut ſcripſi antehac, nihil boni pro re Gallica ſperant, qui inde veniunt et res intelligunt, adeo omnium Catalanorum alienati ſunt a Gallis animi. Deus &c.

Lutetiæ $\frac{\text{XVIII}}{\text{XXVIII}}$ Maji MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Ludovicus Haro, cognatus Olivareſii, ita gratiam Regis Hiſpaniæ occupavit, ut male res ceſſerit eum frigore percutere volentibus. Ducis Medinæ Sidoniæ confiſcata ſunt bona. Ad Epiſcopatum Nemauſenſem alium Papa, alium Rex Galliæ appellavit: prævalebit, ut puto, qui Regem pro ſe habet. Finali in Italia timent Hiſpani, ideoque augent præſidium, res belli et alimenta. In Anglia Limam cepit Pr. Mauritius, obſidet Polam. Plebejus ordo in Parlamento Londinenſi, ut Eſſexii vires accidat, vult Mancestrium ab ejus imperiis eſſe liberum; venit mihi in mentem illud Taciti: nondum victoria, jam diſcordia erat. Certe vix eſt, ut in novis rebus diu conſentiant plebs et nobilitas. Longo tempore bonisque Regibus et inſtitutis opus eſt, ut tam diverſi ingenii partes inter ſe fide coëant. Mortuus eſt Coliniacus, Mareſchalli Caſtilionei filius, magno cum dolore Reformatos ſe dicentium.

L V I I I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Vallum illud castrorum, quæ Gravelingam obsident, plenitudinem suam habiturum speratur intra decem aut paullo amplius dies; dum illuc itur, in itinere ex siti ferme trecenti periere; totidem Helvetii Gallis militantes, per emissaria effusis in eos aquis, mersi fuere. Borborgum differtur in tempus commodius. Pro Mareschallo Vice-Comite Turenæ machinæ Brisacum advenere, et Daumontius cum milite non longe abest. Verene Friburgi obsidionem agitent Bavari; an eo metu diducere copias Gallicas voluerint, quæ sunt sub Mareschallo Turenæ, ab illis, quæ sunt sub Duce Anguiano, dubitatur. Certe Tubadelius Friburgo imposuit pedites mille, equites trecentos, multumque commeatuum collocavit tum Brisaci, tum Rinfeldii, putaturque iturus ad Rheni inferiorem ripam, ut propius a Mosella absit, ad quam sunt castra Anguiani. Bavarici multum cursitant citra utraque Rhenum, et Hatzfeldius Franconiæ gravis est, animo quoque minus sereno, ideo quod ejus milites parere Galassio jubeant, qui venturus in Saxoniam creditur. Fama autem est Francofurti, Racoczium et

a

a Turcis et ab Hungaris derelictum, et a Suedis sejunctum, magnis locorum intervallis, XIV in ipsum immissis Germanorum millibus esse imparem. Transiit per Francofurti urbem Card. Rosatus, exceptusque est ab ea civitate iis honoribus, quibus Electores excipi solent. Cæsariani gessere se pro ignaris ejus transitus; at Colonienses et Wurtsburgici res qui agunt, Cardinalem salutavere. Sicut Gallicorum Legatorum, ita et viduæ Principis Hassicæ litteræ silentio obruuntur. Et Bavarus, quanquam in cæteris juris Principum non negligens, prohibet, quominus conventus aut totus transeat Monasterium, aut ejus nomine mittantur, qui de pace agant, metuens favorem pro afflicta domo Palatina. Brunswicenses dicebantur frustra ab Hatsfeldio ad socianda arma invitari, cum Dano autem foedus Imperatore sociisque ejus prope confectum. Dux Carolus, abjecta, ut videtur, spe conventionum cum Gallia, Wormatiæ auget præsidium: militis sui partem Beckio dat utendam, partem Bavaro. Blomberga a Gallis derelicta, Longviacum diligenter munitum ab Duce Carolo. In Belgicis partibus dicuntur Hispanorum satis tenues copiæ. Melo in Hispaniam abiturus, ut soli Piccolominæo militare imperium relinquat, qui rogat, ut Melo manu sua signatum ipsi det indicem copiarum et pecuniæ, quæ Piccolominæo adventante repertæ sunt. Non tantum in Languedocia miles novus scribitur ad IV millia, sed et ex feudorum lege nobilitas evocatur ad res Cataloniæ resarciendas. Regina Regens

Ruellam secesſit, currum, in quo erat Regina, Rex et Regis frater, aurigante Dna Esguillonia, quam in Reginæ gratiam repoſuit Cardinalis, non ſatis volente id Condæo; Pr. Nojerius ab urbe jusſus eſt digredi. Pr. Thomæ uxor ex Hiſpania in Galliam venit. Ducis Aurelianenſis exercitus fama quidem eſt ad XXX millia, re ipſa ad XX. Cum Milereo, qui ſub Duce imperat, controverſiæ fuere, et Ranzovio et Gasſioni. Piccolominæus non longe a Dunquerca loco, cui Berchemo nomen eſt, habere dicitur XII peditum, totidem equitum millia. Apud Ducem Anguianum XII M. partim peditum, partim equitum, esſe dicuntur. Adfert rumor Sweinitzium Capunio deditum, a Coloredo premi Kemnitium, partem militum Brovaii conciſam a Coningsmarchii milite. Cum nuper Regina R. in Monaſterio esſet, cui nomen Vallis gratiæ, libellos ibi invenit contra Cardinalem. Danorum navis asſeres et alia Danorum mercimonia vehens, ad comparandas machinas, globos, bellicum pulverem, ut ipſi ajebant apud Batavos, ut Galli volunt apud Dunquercanos, capta a Gallis et Caletum perducta eſt. Rex Angliæ Oxoniam muniri jubet, videturque obſidionis metu in partes Angliæ occidentales velle recedere. Regina Exceſtriæ apud ſe habet filium ſuum, Walliæ Principem. In Scotiâ nova pro Rege excitata factio interitura videtur, obſesſo a Scotis in arce quadam Huntlejo, Regiæ illic factionis Principe. Deus &c. Lutetiæ XI Junii MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Gal-

Galli, qui Gravelingam obſident, Eccleſiam ad Mardicum, in quo milites erant quadraginta, cepere. Siccant humum ſtagnantem in ea parte, in qua eſt Mellerajus. Naves lapidibus onuſtas volunt deprimere in portu, deinde capere caſtellum ad emisſarium aquarum, quod Cluſam dicimus, receptus militares ad portum, poſtremo caſtellum Oſæ, caſtellum Philippi nomine, quod portui incumbit ea parte quæ Galliam ſpectat. Urbem autem verberari machinis XV. Abundant in caſtris et victus et belli inſtrumenta, ſtrenue advehentibus Batavis lucri causſa, et ſpe fore ut a Dunquerca liberentur. Hoſtes non ſunt otioſi; octingentos milites jam nunc in oppidum immiſere, ita ut præſidium ſit IV millium; aquas etiam dulces, caſtris utiles, marinis infuſis corrumpunt; inter Ducatum et Comitatum Burgundiæ manent locales induciæ. Romani et qui cum eis bellum habuere, tollunt nova munimenta, præſidia, machinasque et limitum locis. Motta Odincurtius Belviſii eſt leucis duabus ab Verda, quæ fame non minus quam armis premitur. Scoti ad viginti, ut hic dicitur, millia Eboracum obſident: queruntur autem, ſibi a Parlamentariis non præſtari promisſa de equitibus quinquies mille, de ſtipendiis, et de oppido quod ipſis ſit pro pignore.

LIX.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Hispani in Belgica læti, quod non successerint Batavorum conatus adversus Saxum Gandavense, misere Comitem Isembergium cum XXX equitum turmis, peditum vero cohortibus octo ad ea loca, in quibus est Melos, qui videns consilia de mergendis terris, in quibus sunt qui Gravelingam obsident, spei non respondere, vim aliquam parat ad perrumpenda castra: ita ut plane necessarium sit mittere hinc, qui augeant Ducis Aurelianensis copias. Viæ anfractuosæ perductæ sunt ad CC passus a vallo exteriore, quod contrascarpum vocant. Interim ex una parte viginti, ex altera pari numero machinis oppidum verberatur. Hostilis equitatus ad Borborgum adparuit, nec tamen ad castra Gallica accessit. Dicam et de meis rebus aliquid. Prodiit hic versio Gallica libri a me pridem facti pro veritate Religionis Christianæ: qui eam fecit me adiit, sed neque versionem, neque præfationem, quam addidit, mihi ostendit unquam. In quibusdam a meo sensu aberrat, quod ideo scribo, ne aliena dicta pro meis accipiantur. Alterum hoc est. Moriens Dux Bernhardus Vinariensium testamento suo re-

reliquit nobilibus domesticis singulis XII ferme Francorum millia. Erat in arca ejus pecunia et ei rei et alendis militibus destinata. Eam Rex Galliæ sibi sumsit: legata solvit aliis, non item filio meo, arte Card. Riceliaci, qui me amantem pacis ob hoc solum oderat. Fuisse enim filium tunc meum in eorum nobilium numero, constat omnibus, et testimonia ejus rei habeo. Nunc cum filius idem meus captus pridem a Bavaris, et meâ, non Gallorum pecuniâ redemtus, ad castra Mareschalli Turenæ redierit, interpellavi ministros, ut filio meo solverent, quod solverunt aliis: quid futurum sit, nescio. Cæterum et hoc scribendum censui, ne per falsos rumores credar hic captare liberalitates externas, quas sprevi semper. Regis Angliæ res sunt miseræ. Duræ, et apud omnes Anglos odiosæ sunt conditiones, sub quibus ipsi auxilia Hiberni offerunt. Nova pro Rege factio in Scotiâ oppressa est. Oxoniam, quam ambire exercitibus coeperant et Essexius et Wallerus, Rex dereliquit, confertque se Cestriam aut Worchestriam, si res urgeat, forte in Hiberniam iturus. Eboracum a XL millibus obsideri scribitur. Lima adhuc defenditur. Pr. Robertus paullum aliquid habuit bonæ fortunæ inter tot adversa. Francofurti ebuccinantur victoriæ Dani, Rokoczii pactio, mutata consilia aulæ Turcicæ, ad quam it Comes Serinus magnis cum donis; qualia etiam data sunt vicinis Hungariæ Bassis. Præfectus Hohentwielæ cum Duce suo, id est Wirtembergico, coepit agere. Ajunt alii promittere eum, se in bel-

lo

lo medium fore, dummodo Duci Wirtembergico reddantur quæ ipsius fuere. Addunt alii id eum ita polliceri, si Galliæ persuaderi id possit. Mareschallus Turenæ Rhenum transiit, quasi Hohentwilæ subventurus. Sunt qui majora consilia ab eo occultari putent, quia jam Bavarus ab Hatzfeldio et Lotharingo vix est ut auxilia speret. Dux ipse Carolus ad suas ivit copias, quæ sunt in agro Treverico. Hatzfeldius autem parere Gallassio ipse non vult; sed copias suas ita jussus Egram mittit, apud quam coit et Gallassii miles. Hæc sunt quæ Francofurti dicuntur, et simul, eas omnes copias et Saxonicas quasdam exspectari a Coloredone et Brovajo ad Lipsiam obsidendam, cui malo cavendo exarmatos jussu Coningsmarchii cives, importata autem multa tum alendo, tum instruendo militi necessaria. Equitem omnem, ut in obsessa urbe futurum inutilem, ab iis locis discessisse. Ipsum Coningsmarchium cum parte Hassorum se jungere. Etiam D. Torstensonii morbus ibi augetur in majus, exercitus autem ejus per famam imminuitur. Papa Castellum ad Comachium nudare munimentis recusat, dicens, id, ut hoc tempore non limitaneum, pactis non contineri. Hoc videntes Veneti ne ipsi quidem pacta implent. At Dux Bulionius Romæ instrumentum erit domus Barbarinæ magna agitantis. Pr. Thomas cum octo millibus speciem præfert oppugnaturi Castellum Bremum, qui gradus esset veniendi ad Finale, magni ad res Hispanicas momenti locum. Quare Hispanus duobus militum mil-

millibus eum locum servat, et omnia parat ad eum tutandum, si qua vis immineat. Quæ vero in hac urbe dicuntur hæc sunt. Ducem Anguianum cum IX millibus militum, quæ habebat, et novis delectibus a Leodico, qui accessere, ire propius ad Ducem Aurelianensem, ut huic si opus est adsit, atque interim sui metu copias Beckii detineat ne Meloni se socient. Qui in Gravelinga sunt, neque eruptionibus neque machinarum uti jactibus. Contra obsessores uti machinis XL, pontibus et ad humida obruenda fascibus multis. Exercitus Hispanici partem magnam ex quibus erat ad Dunquercam locis alio iisse, sive ad oppugnandum Landrecium, ut quidam existimant, sive ne Pr. Arausionensi aditus in interiora Flandriæ detur. Alii eos eo unde abierant redire dicunt, ut in castra Ducis Aurelianensis fortunam tentent. Augetur autem quotidie obsidentium exercitus, et novæ hic scribuntur cohortes, et supplentur quæ erant cladibus aut fugis exhaustæ. Militi cuique novo tres in præsens Pistolienses dantur. Cum Anglia nihil amplius quam vetera foedera novabuntur, quibus nec lex nec Parlamentum possunt contradicere. Deus &c. Lutetiæ $\frac{XV}{XXV}$ Junii MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Dubito an verum sit, quod hic vulgatur, Regem Magnæ Britanniæ consensisse in conditiones ab Hibernis propositas, qui proinde missuri sint in Angliam

gliam XII millia militum, X autum millia in Scotiam, ubi novas pro Rege partes excitare dicitur Montrosius in Sunderlandia (*a*).

L X.

AXELIO OXENSTIERNÆ.

ILLUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME DOMINE.

„ Plurimum debeo Excellentiæ Vestræ et pro „ Epistola ejus data xxx Maji, et pro ea, quæ accedit Palatini Poloni ad D. Mareschallum Torstensonium; quæ prudenter scripta nobisque est „ perhonorifica. Ego eorum, quæ ad causfæ „ istius defensionem gloriamque regni pertinent, „ nihil omittam. Colloquium inter Regni Suedici „ et Danici Senatores video congruere foederibus. „ Vix tamen est, ut aliquid inde boni sperem: non „ quod non Senatum Danicum putem pacis amantem; sed quod Rex aspero adhuc animo, et pro „ magno lucro habente æquam hactenus mari fortunam, facile in Senatu inventurus sit aliquos, „ qui affectus suos ex ipsius affectibus trahant. „ Quod si res transferatur ad ea colloquia, quæ „ Osnabrugæ et Monasterii habentur, non poterit

„ Im-

(*a*) Litteræ, verbotenus ejusdem argumenti ac præcedentes, etiam Axelio Oxenstiernæ scriptæ fuere.

„ Imperator causſam communem liberæ per mare
„ navigationis deſerere, niſi civitates maritimas ve-
„ hementer velit offendere. Mareſchallorum Hornii
„ et Torſtenſonii cognitas antehac virtutes gaudeo
„ in rebus maximi ad Patriam momenti rurſus enite-
„ ſcere. Fuſiorem causſæ noſtræ explicationem jam
„ Belgico ſermone acceperam; et jam in Latinum
„ ſermonem tranſtulisſem, niſi audisſem in Suedia
„ verſionem ex Suedico fieri, quod multo erit rec-
„ tius utiliusque. Ego interim hoc in omni ſer-
„ mone, qua publico, qua privato, non deſino et
„ æquitatem armorum Suedicorum, et objectionum
„ Danicarum iniquitatem oſtendere. Litteræ Papæ
„ et Regis Poloniæ omisſæ fuerunt addi Excellen-
„ tiæ V. litteris. Sum maneoque ſemper, Illuſtris-
„ ſime et Excellentisſime Domine,

Excellentiæ V. perpetuo ſerviturus

$\frac{\text{XVI}}{\text{XXVI}}$ Junii MDCXLIV.

H. GROTIUS.

LXI.

L X I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Multæ mihi, quas ab amicis Batavis accepi, litteræ indicant dolorem Amſtelodamenſium et aliorum, quorum res in mari ſitæ ſunt, ideo quod occaſiones pulcherrimæ, quæ ſe oſtentarunt ad reſtituendam commerciorum libertatem Suedica ope, perierint, arte eorum, quibus Anglica affinitas nimium cordi eſt. Tarditas illa conſultationum in re tam magni ad Batavorum commoda momenti, ut et impedimenta objecta ſocietati Indiæ Aſiaticæ, oſtendunt morbos iſtius Reipublicæ, quæ nunc ſpeciem magis quam vim habet veræ ac ſolidæ libertatis. Epiſtola Palatini Poſnanienſium omnibus æquis hominibus perſuadet æquitatem noſtræ contra Danos cauſſæ. Hohentwilæ Præfectus, ut nunc adparet, propoſitis conditionibus, quas ſciebat a Cæſarianis non iri acceptatum, et quæ maxima ſui parte a conſenſu Galliæ pendebant, nihil aliud quæſiit, quam tempus dari Mareſchallo Turenæ ad colligendas vires. Eſt autem hujus equitatus melior quam Bavaricus, qui a Duce Lotharingico opem exſpectat adhuc incertam. Nam Dux apud Wormatiam eſt, eoque milites ſuos revocare dicitur.

tur. It et redit Plesſiacus Veſontionenſis e Gallia illuc, illinc in Galliam, nulla ſpe efficiendi quicquam. Filius Ducis Neuburgici Francofurtum tranſiit, multa ibi pro Rege Angliæ locutus. In conventu Francofurtenſi laborant Cæſariani, ut perſuadeant aliis, in Gallorum procuratorio multa esſe vitia, per quæ ſtet quo minus colloquium inchoëtur; tum vero Epiſtolam D. Davauſii inſtitutam ad commovendas in Imperio Germanico ſeditiones novas: nec quidquam fidei, etiamſi ad pacta veniatur, habere posſe pactis cum Gallia, minore Regis ætate, quæ multa illis effugia ſuppeditare posſit. Laborant autem omni modo Cæſariani, ut is conventus, ita ut nunc eſt, maneat Francofurti, ne exemplo Lubecenſium et Hamburgenſium civitates Norimberga, Argentoratum, Ulma et ipſum Francofurtum, aut mittant ad conventum, qui eſt Monaſterii et Osnabrugæ, aut ſeorſim Gallis, quod ex uſu putabunt, reſpondeant. Erat autem fama Francofurti, venisſe Viennam nobilem e Polonia misſum, qui dicat Rakoczium, nova ſpe a Conſtantinopoli inflatum, bello quam paci propriorem. Etiam Reſidentem Imperatoris captum Conſtantinopoli familiamque ejus disſipatam ea de causſa, quod ſplendida illa legatio, ſolitum pro Hungaria tributum cum donis aliis allatura, tam diu trahatur. Princeps ejus legationis Comes Zerinus jam Miniſteria ſua præmiſisſe dicitur. Credebatur præterea illis in locis Gotzius, Casſovia et Johovia receptis, Turcicos reprimere excurſus. Hatzfeldium, quanquam a Comite Schwar-

L tzen-

tzenbergico rogatum Imperatoris jussu, ne ad Galassium eat, morbo uti excusationem. Zaradeskium autem cum Hatzfeldii copiis ire Hossium, ubi nunc sit Galassius. Rex Angliæ apud Worcestriam esse creditur. Eboracum esse in periculo. Oxoniam a Wallero quidem assultari, at Essexium, minus obsequentem Parlamenti præceptis, alio deflexisse: forte ad liberandam obsidio Limam, quam premit Pr. Mauritius. Tentare Pr. Robertum, an Eboraco subveniri possit. Tam Legatus Hispaniæ quam Imperatoris Residens, nec minus Batavorum Legati agnovere Parlamentum, quod Westmonasterii apud Londinum est, ita ut agnosci volunt; et agere inceperunt cum delegatis tam Scoticæ quam Anglicæ gentis, pacem, ut videtur, quisque molientes ex suo usu. Etiam Portugalliæ Legatus ab ipsis audiri cupit. In fossa, quæ Gravelingam ambit, lunata est munitio insulæ in modum, quam aggressi sunt Galli ponte de fascibus structo: sed eo incenso, multos suorum etiam de primoribus amisere. Castra ipsa defenduntur vallo, et in eo excitatis sex bonis castellis, fossaque patente in XXIV pedes; accessere autem ad eum exercitum bis mille pedites, equites mille ducenti; sed et hostium exercitus, qui ad Berchenium est, et castella quædam ad defendendam, ubi opus erit, Dunquercam facit, exspectat a Beckio sex militum millia, rusticorum Flandrorum X millia, et incrementa alia, per quæ futuros se sperant ad XXX millia; est de multis tentamentis adversus castra successurum aliquid. Interim quatuor

tuor ex locis verberatur Gravelinga. Rumores hic nimium benigni fuere de rebus Cataloniæ, quafi coactis ab obfidio Ilerdæ difcedere Hispanis. Sed verum eft exfpectari a Motta Odincurtio militem, quem a Villaregio adferet Caftellanus, qui hic dicitur futurus ad XII millia, fupra verum ut puto. Sed et Rex Hispaniæ auget exercitum fuum. Datur hic opera ut tranfigatur cum Duce Bulionio, qui nunc Romæ eft. Et Meriacus, cui nuper grave cum Pr. Condæo jurgium intercesfit, ex eo jus fedendi in confilio ftatus accepit. Caftellonovius, ante hac cuftos Sigillorum, ad rus fuum, proxime hanc urbem, rediit. Tres Sorbonæ doctores a toto collegio functionibus fuis interdicti funt, quod librum Mileterii, in quo quædam acerba erant contra Papam, adprobaverint. Inter Papam et vicinos Principes pax reftitui dicitur, ipfo Papa valde ægrotante. Pr. Mauritius Sabaudus Casfinum cepisfe dicitur. Marefchallus autem Turenæ ire in agrum Trevericum, ut fe cum Duce Anguiano jungat; quanquam alii putant, magis e re fore, ut hic fe ad Ducem Aurelianenfem conferat, crefcentibus hoftium copiis, et nihil magni agente Pr. Araufionenfi. Magna panum copia coquitur Meti. Card. Mazarini, propter potentiam in Gallia, jam tanta eft etiam Romæ auctoritas, ut frater, Aquenfem jam Episcopatum adeptus, etiam Cardinalis brevi futurus putetur. Regina R. cum nuper feditionis metus esfet ad Carentonum, quo conveniunt qui fe Reformatos putant, militari præfidio locum circufempfit, ne qua

ab hominibus et suspicacibus et inquietis hoc tempore Regni perturbatio oriretur. Deus &c.

xxiv Junii / ii Julii MDCXCXLIV.

H. Grotius.

Epistola Palatini Posnaniæ utilis hic est, et Senatores Poloni testimonio justitiam causſæ Suedicæ contra Danos omnibus bonis persuadet. De pecunia ex foedere debita nulla hic erit difficultas. Velim sciri, quoties Galli publicum aliquid edunt, semper ab eis Danorum nomen Suedico præferri. Et nunc Regem Daniæ priorem adit D. Tuilleriacus. Sed id compensatum putant, quod ante viderit legatos Suedicos. Ego hæc non tam solicite observarem, nisi scirem omnia ista a Gallis in acta referre, et id negotium datum D. Gothofredo. Præfectus Casalis obsidet arcem Ponzoni bis mille peditibus, equitibus vero MCC, et machinis, quod parum est, duabus. Lunatam quam dixi munitionem, ea est in ipso vallo exteriore, sive contrascarpo, quæ exterius fossam habet, quam transire Galli voluere.

LXII.

LXII.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Dixit nuper in publico Card. Mazarinus, velle ſe quatuor milliones impenſos, ut bellum Suedorum in Dania finem habeat. Id cum mihi Stella retuliſſet, dixi ego, ſi illos milliones Cardinalis dare velit, partim ad alendos milites et nautas Suedos, partim diſtribuat apud Batavorum primores, ut ii ſe Suedis quam primum adjungant, brevi finem iſti bello fore, cum magno navigatus et commercantium bono: quo deinde expediti Suedi, multo quam antehac alacrius arma ſua commoturi esſent, alibi ad pariendam Chriſtianismo bonam pacem. Fuit his diebus, dum Regina et Cardinalis ſunt Ruellis, ſeditio plebis in hac urbe adverſus menſores novorum ædificiorum, unde ingens tributum ſperabatur. Menſorum aliquot interfecti fabrorum concurſu, metuentium ne ſuus quæſtus intercideret. Sed plebs, a qua auxilium iſti ſperabant, ſtatim militum ſuperventu disjecta eſt. Deinde Regina, in urbem rediens, jusſit quidem juris tuendi causſa, menſores in mandatis pergere; ſed Parlamentum alias proponit, ad reperiendas pecunias, vias magis populares. Cætera ſatis quieta ſunt. Et optimam de ſe ſpem

præbet obſidio Gravelingæ, operibus jam in fosſam urbi proximam perductis, et de quadringentis militibus, quos in urbem inobſervatos injicere voluerat Piccolominæus, cæſis aut captis omnibus, præter viginti, qui in urbem venere. Dux Anguianus adhuc Beckio imminet. Dux vero Carolus novas conditiones de Motta diruenda et alias offert Galliæ, cum tamen credatur pecuniam ab Hispano partim accepisſe, partim exſpectare. Dux Bavarus adhuc Hohentwilam eminus circumvenit, neſcio qua ſpe, et Cresſiacum Gallia apud ſe opperitur. Videtur et Stella in illas partes iturus. Mareſchalli Vice-Comitis Turenæ exercitus adhuc circa Baſileam eſt, et Colmariam, et Schleſtadum, et Montem Stellicardum; videtur autem inde abſcesſurus, ut mesſem relinquat, liberam populis in fidem Galliæ receptis, et mesſem contra auferat non Palatinis tantum terris, ſed et, ut vereor, Benfeldianis. Ut cis Rhenum aliquid incipiat Bavarus, videtur induci non posſe, niſi loca quædam a Cæſarianis infesſa ipſi tradantur; habet militum millia, ut dicitur, octodecim. Francodalia ægre a quingentis cuſtoditur. Et in vicinis locis aliquid eſt reliqui de Hatzfeldiano milite, ſolatium magis Electori Maguntiacenſi, quam verum auxilium. Mareſchallus Turenæ dimidium ferme habet ejus numeri, qui apud Bavarum eſt. In Italia firma pax jam esſe creditur inter Papam ſenio fractum et vicinos. Casſinum autem, quod captum P. Mauritio ſcripſi, opportunum ei erit, tum ad tributarium faciendum agrum

Me-

Mediolanensium, tum ut insidietur inde Alexandriæ, Novaræ, Tortonæ. Ad eas res impediendas missus est e Ticino Stosfius, habens secum sex millia peditum, equitum quatuor. Pr. Thomas habens sex millia peditum, equitatu inferior hoste, ex parte altera; ex altera Pr. Mauritius sperant se terræ Mediolanensium fruges posse corrumpere, nihil hoc quidem anno illis in locis magni agitante Gallia. Pecuniæ hinc pro Rakoczio Venetias missæ sunt, crediturque is post desertam Casfoviam reparare vires, et magnam spem capere a favore Aulæ Constantinopolitanæ, quanquam Cæsariani Francofurti vulgant, bene accepta a Budensi Basfæ munera Imperatoris, et Magnum Vizirium nihil polliceri novatum iri. Attamen ibidem Francofurti rumor erat, Budianas terras vastari a Turcis. Legati Principum et Civitatum numero majore rem de litteris D. Davausii consultandam ad mandatores suos misere. Interim IV Civitates, Norimberga, Ulma, Argentoratum, Francofurtum seorsim deliberant. Spirense collegium vellet aut transferri alio, aut bello eximi. De Gallasfii Hatzfeldiique copiis varii ibi rumores erant, ituræne essent in Pomerainam, an in Bremenses terras, an in propriora Daniæ. Coningsmarchius credebatur ita bene Lipsiæ prospexisse, ut sine periculo posset se alio vertere, et Bremensi Archiepiscopo negotium facere. Discimus, in conspectu Valentiæ quatuor naves Castellanas a Gallis incensas. Ad Oliversam et Guadianam amnes pugnatum inter Castellanos et Portugallos ali-

quoties, ita incerto Marte, ut et hi et illi rumoribus ad ſe victoriam trahant. Cæterum victus inopes Portugallos ab illis locis recesſisſe. Angliæ Regina Exceſtriæ quartum edidit partum marem: ſed eam urbem obſidere parat Esſexius; Wallerius autem ad Briſtoliam ibat, ubi ſe Rex tenet. Ex Eboraco Novi Caſtelli ad Pr. Robertum litteræ oſtendebant res ultimas, et Londinii jam deditio pro re certa habebatur, addito viginti millibus Sterlingorum redimi direptionem urbis. Sunt et de Ilerda dedita hic rumores. Periſcelidem Anglicam, qui hic ab Anglia eſt Legatus, Regi dedit. Extraordinarius qui hic fuit a Portugallia Legatus domum redit. Deus &c. $\frac{\text{xxx Junii}}{\text{ix Julii}}$ MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Sparſi hic ſunt rumores multi, tantum ad mulcendam plebem, de cæſo Piccolominæo, cæſo Beckio, occiſis ab Albuquercio Portugallo peditibus Caſtellanis bis mille, equitibus mille de Duce Carolo ad Gallicas partes traducto, cujus copiæ, cum Anguianicis et Turenicis junctæ, in Germaniæ intima ſe injecturæ esſent: quæ omnia magna ex parte falſa ſunt, quædam ex parvo in magnum aucta. Hæc certiora: captam a Motta Odincurtio turrem ad Sicorim et Caſtelloniam, oppidulum juxta Nagueram. In Anglia a Pr. Mauritio derelictum obſidium Limæ; a Pr. Roberto captum portum Leberpoulam. Qui a Batavis Goam misſi fuerant, recupe-

perare non potuerunt, quæ a Gallis erant capta. Societas Indica in Batavis de eo edocta, non vult apud Ordines conqueri, ſperans ſe ſibi jus dicturam. Magna hic penuria hominum, pecuniæ et belli inſtrumentorum. Unum tantum locum in vallo exteriore Gravelingæ recuperavit Gasſio. Millerajus idem facere non potuit, primum incenſo ponte ejus, deinde eis, quos transpoſuerat, coactis recedere ob aquarum incrementa, quæ in fosſa oppidani arte effecerant.

L X I I I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Vidi D. Comitem Chavigniacum, qui nunc asſiduus eſt in conſilio Regiminis, et, ut creditur, apud Card. Mazarinum in aliqua gratia. Dixi ei, quæ ante multis, non tantum de juſtitia, verum etiam de necesſitate eorum, quæ adverſus Danum ſunt acta, cujus iniquitatem in negotio pacis procurando agnoſcebat. Dixi nos merito opem Reginæ R. poſcere, primum ut adverſus adjutorem Imperatoris, nocentiorem nobis, quam ii, qui palam arma ſumſisſent: deinde, ut ſalva ſit Gallis aliisque populis ad nos commeandi libertas. Regesſit, incommode

 hoc

hoc accidere Galliæ, et rationis fuisse eam præmoneri. Reddidi, periculum fuisse a bellis undique concitis, exitium minans Suediæ, neque rem in acie positam permisisse longinquas consultationes. Suadebat omnino, pax fieret, non restituto in præsens nostro jure, sed salvo suspensoque in tempus aliud, ut in Germania res agantur validius. Dixi vero ego, non arbitrari me aliam posse pacem iniri, quam si Suedia secura fieret de illis hostilibus molitionibus, foederum veterum apertissimorum vis restitueretur, et aditus Gallis aliisque gentibus ad Suedos pateret. Addidi quæ brevi futuræ essent mari vires Suedicæ, et si Gallia brevem optaret exitum belli istius, nihil melius posse fieri, quam ut Batavis consilium detur, suam caussam de commerciorum libertate nobiscum jungendi, sicut ex foederibus debent. Hæc latius exsecutus apud eum sum, quam litteris nunc complectar, præsertim cum a me apud alios in eam rem dicta jam sæpe perscripserim. Francofurti varii sunt rumores de Rakoczio: sunt qui dicunt, eum et amne et populorum favore defendi: sed et contra Imperatoris exercitum, auctum bis mille equitibus, quingentis draconariis, peditibus aliquot, et castra habere apud Cassoviam. XXVII mensis hujus dicebatur Serinus iter suum Constantinopolim inchoaturus. De Gallassio opinio erat, eum in Pomeraniam aut Bremensem terram ire; de Hatzfeldio, eum institurum vestigiis Coningsmarchii, parte etiam copiarum defensurum Franconiam, ad quam et pars Bavarici mili-

ti5

tis accedat, fed Rheno interpofito. Quatuor civitates, quanquam acceptis ab Imperatore litteris contra Gallicas, in medium confulere, et ad Gallicas parare refponfum. Aliunde vero difcimus, a Bavaro obfideri Friburgum, nec ullam fpem esfe in exercitu Turenii, ut multo minore. De rebus Anglicis mirum eft quam pro affectu variet credulitas. Regina Anglicana primâ famâ filium dederat; nunc intelligimus filiam esfe, quam enixa eft. Et creditur, quanquam a puerperio recens, exiisfe Exceftria, ne obfideretur ab Esfexio: dicebatur in Falmuthum. Dicunt qui Parlamento favent, a fuis navibus XXX captam Portlandiam; partem fui militis ire contra Pr. Mauritium, qui fit Orchamptone in Devonia, habens fecum milites bis mille; partem aliam ad homines mille trecentos ivisfe in Cornubiam; partem rurfus aliam in Somerfetiam contra Rafeltonum, qui illis in locis pro Rege habeat homines bis mille; fed cui de populo octo millia fe opponerent. Omnem Regionem occidentalem favere Parlamento. Regem comitatum fex millibus ire in Northamtoniam aut Liceftriam, et quædam oppida prædam fecisfe; fed circumveniri eum a Wallero et Bruno, quorum hic Cantabrigiam, alter Buckingamiam petiit. Alium parari exercitum contra Pr. Robertum, qui per Cæftriam, Blacburiam, Wanchiriam velit fuccurrere in extremis agenti Eboraco, et jam cuniculis ampetito; cæterum victum habent ad fesquimeftre tempus. Et quia fufpicio erat posfe Regem ire Lincolmam, misfum eo Manceftrium Parlamentarium cum equitibus mille. Comes

mes Liceftrius, accepto permisfu ut de Oxonia exiret, ftatim a Parlamentariis captus eft, unde dolum ejus quidam fufpectant. Misfa vero erant a Parlamento XX millia Sterlingorum ad continendam in obfequio partem Angliæ occidentalem. Ilerdam deditam credunt hic plerique; fed occultari rumorem. Ad Gravelingam Gasfio machinas quasdam pofuit in eo loco valli exterioris, quem infiderat, et ponte tranfire vult ad opus lunatum, quod eft circa urbem. Die hujus menfis, partim nono, partim decimo, etiam Millerajus quadringentos homines transpofuit in vallum illud exterius; die undecimo Gaffio cuniculos agebat fubter illud lunatum opus. Dux Carolus adhuc ad Mofellam eft cum fuo milite, videturque Hispanis potius adhæfurus, quam fe adplicaturus Gallis, a quibus conditiones accepit per Plesfiacum Befanzonium; fed nondum refpondit iis. Inter Hohentwilam et Bavaricas a vi hoftili temperatur. Marefchallus Turenius XVI Junii Rhenum tranfiit ad Brifacum, non magna cum fpe. Dicuntur, qui in Motta Lotharingica funt, in Basfiniaco agrum populati. Dux Anguianus apud Arlonem duodecim habet millia, et dicitur, locis quibusdam captis, retro agere Beckium. Elbovius ad S. Quinctini oppidum habet tria millia, iis ufurus ut fe res ad Gravelingam dederint. Decem novæ cohortes et veterum fupplementa parantur in menfem Auguftum Gravelingam, et machinis et omnibus misfilibus ignitis utuntur ftrenue. Deus &c. $\frac{\text{VI}}{\text{XVI}}$ Julii MDCXLIV.

H. Grotius.

D.

D. Cerisantes jussit in publico scripto se dici Consiliarium consilii privati sive arcani; dicit sibi res magnas mandatas, ut eas agat me inconscio, meas actiones etiam optimas obtrectat; legationem, quam hic obeo, sibi dispondet. Videbimus, quis futurus sit exitus: in hac urbe vocatur Phaëthon. Dicuntur trecenti Castellani occisi, et sic solutum obsidium Castelli Petaldi in Catalania. Quæ præterea hic dicuntur, breviter hæc sunt: Duci Bulionio aditum non datum ad Legatum Galliæ, qui Romæ est. Omnia munimenta, bello nuper facta a Barbarinis, Venetis atque aliis dirui. Cum Mareschallo Turenæ esse VII equitum millia, peditum quatuor, et mille alios ex proximis præsidiis eductos. Friburgum a mille militibus defendi. In Catalaniam ire mari homines ad mille trecentos, quater mille per vallem Andoræ; ab ipsis Catalanis ad VII millia peditum, equites mille suppeditari pro Ilerda. A Pr. Thoma coactum exercitum III hujus mensis. Octo millia saccorum farinæ ab eo missa in Casale et Chivasium: sed horum auctoritatem præstare nolim. Sumsi de pecunia Gallica quater mille thaleros Imperiales pro semestri salario, quod cessit II Julii.

LXIV.

LXIV.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Gravelinga putatur brevi admodum futura Gallorum: quanquam nempe minima pars terræ bene defendatur, tamen non eſt ut diu ſubſiſtat urbs, poſtquam et lunatum opus in foſſa captum eſt Gasſione, multi etiam defenſorum merſi dum inde ſe retrahunt; ſed et ipſa valli oppidani propugnacula, quæ baſtiones dicuntur, partim verberantur ingenti machinarum numero, partim cuniculis ſuffodiuntur et ex parte obruuntur. Friburgum putatur defendi poſſe in menſes duos. Præfectus oppidi incendit ſuburbana, quo ſe tueatur melius. Obſesſores vero ita caſtra ſua munierunt, ut vix ſit aliquid, quod ibi agere posſit Mareſchallus Turenius. Mareſchallus Motta Odincurtius jam ſupplementa a Villaregio et aliis accepit. Videbimus, ecquid efficiet contra exercitum Regis Hiſpaniæ ſane validum. De prælio inter Caſtellanos et Portugallos longe alia hic, alia in Hiſpania publicantur, quorum quædam etiam edita vidimus. Pr. Thomas in agro eſt circa Alexandriam, inhibitus per calores, ne quid magnum aggrederetur. Dicitur tamen cepiſſe Ponſonem et Fonteneanium; imminere autem Aronæ ad la-

lacum qui Major dicitur. Præfectus Regni Neapolitani aliquid militis contrahit. Pax autem inter Papam et vicinos ejus manet; et, ad auferendam diffidentiam Italis propriam, ſuper exſequendis pactis, misſi ſunt obſides Caſale, qui futuri ſint in poteſtate Regis Galliæ, donec omnia ſint confecta. Dux Bulionius ſalarium habebit a Papa ſive bello ſive pace, et eo titulo ibi ſalutatur, quo ſolent Principes, qui nulli ſunt obnoxii. Ad Mareſchallum Turenæ it ſub Tertæo cohors hominum CCCXL: forte et ituri ſunt eo illi a Leodio milites. Ad Ducem Anguianum eunt Gallicæ et Lotharingicæ copiæ, relictis tribus Helvetiorum centuriis Nanciaci. Veniunt ad eum et machinæ a Viroduno. Elbovius a locis circa S. Quinctini oppidum Hainaviam incurſat. Ideo putatur Melos ire eo cum copiarum parte. Rumor fuit, Parlamentarios Anglos voluisſe per mare ſubvenire Gravelingæ; ſed falſus, ut puto. In hac obſidione mortui de obſesſis aut vulnerati nongenti: deesſe dicuntur medicamenta et plumbum. Non cesſant interim interiora oppidi munire, ſi forte extima deficiant. Hohentwilæ Præfectus dicit, ſe exſpectare ratihabitionem pactorum ab Imperatore et Bavaro. Conditiones, quæ a Gallis offeruntur Duci Carolo, dicuntur hæ esſe: ut Metta et Clarimontium nudentur a munimentis; Liceat Duci ire ad loca Lotharingiæ, etiam ad Nanciacum a Rege infesſum; Urbes locaque omnia ipſi redditum iri poſt pacem; Exercitus ejus Regi militet et tradat Wormatiam, Spiram, Germeshe-

mum,

mun, Lindaviam, Weisſenburgum. Nimia hæc ſunt, et non credibilia. Mittuntur hinc ad eum ducenta M. Florenorum, et Beckius, incertum an conſcius fraude a Lotharingo hæc agi, et Gallorum credulitatem alere volens, ducenta M. ſcutatorum, Duci ut ait deſtinata, detinet. A Francofurto diſcimus, Legatos Principum ſuorum juſſa exſpectare ſuper iis, quæ Imperator monuit de litteris Gallicis. Pauci videntur Gallis reſcripturi, cæteri rem transmiſſuri obſtinato ſilentio. Haſſica vidua a conventu Francoſurtenſi expetiit exemplar eorum, quæ in ſcriptis dedit Darmſtadienſis, volens hic negotium Marspurgicum a communi pacis negotio ſeparari, et regi ex re judicata. Legatus qui ibi eſt Imperatoris dicit, non poſſe intra ſex menſes definiri, quæ ad colloquium ſunt prævia, et, ut puto, verum dicit. Langermannus Danicus, qui a Francofurto abiit in Hollandiam, in amicis ſermonibus oſtendit, ſe non intercedere quominus controverſia Danica ſeorſim tractetur. Viennæ ita creditur, habere Gallaſſium ſecum XVIII militum millia; Rakoczium ſatis bene ſua tutari. Ex caloribus multos morbos manaſſe in exercitum Imperatoris. Parlamenti hujus controverſia, an de negotiis ad publicum ſpectantibus omnes judicum claſſes convocari debeant, ita compoſita eſt, ut ſuper edictorum probatione convocentur omnes: ſuper rebus aliis ita, ſi primæ claſſi ita ex uſu videatur. Recepti ſunt in Parlamento Mareſchallus Scombergius, ut vicarius Languedociæ, et ut Præfectus ter-

terræ Metenſis, Virodunenſium et Tullenſis: Breſſæus autem ut Inſpector rei maritimæ ſine Admiralis titulo. Res Anglicæ non ita procedunt Parlamento, ut non Regii adhuc multum ſe moveant. Cum Eboracum jam in ultimis esſet, iter ſuum, ut ei ſuccurreret, inſtituit Pr. Robertus, habens XV millia, partibus ferme æquis, equitatus et peditatus, et hunc in itinere augere dicitur. Contra eum Teſlæus, derelictis operibus proxime urbem Caſtelli, quibus retentis procedet cum Farfaxio, equites habens ſexies mille, peditum non minus, præter cohortes quatuor, quæ ei advenere; a tergo autem eidem Pr. Roberto inſtat Johannes Meldrunus a Manceſtrio profectus, habens militum octo millia, ut plane ibi res videatur ſpectare ad prælium; quamvis ſint, qui exiſtiment Regios omnia incerta vitaturos, ut tempus ad hyemem extrahant. Erat autem Rex Bambergæ, non longe a Wallero, quotidianis conflictibus, in quibus ſex machinæ per Regios captæ ſunt. Abducit a Wallero Brunus incrementum ſex millium, et ab Esſexio ei veniunt quatuor cohortes. Præterea vicinæ terræ Draconarios ſuppeditant ad impedienda Regis deſtinata. Esſexius autem ad Limam erat cum equitibus bis mille, peditatu majore, et aucto accesſione VII millium e Devonia, diciturque cunctari circa obſidium Exceſtriæ, ob quasdam difficultates. Non ita longe ab ea aberat Pr. Mauritius cum equitibus bis mille quingentis. Regina, ægra adhuc valetudine, petierat liberum commeatum ab Esſexio, ut iret ad aquas

M Bris-

Briſtolienſes; reſpondit Esſexius, nullum coelum ei fore ſalubrius, quam Londinenſe, eo ſe Reginæ ducem fore, ſi velit. Parlamentariæ ſub Warwicio naves Regiam navem cepere, quæ tria millia armaturarum ferebat Exceſtriam. Liceſtrii comes Londini eſt ſub honorata cuſtodia. In Scotia VII ſunt decollati, ſuſpenſi alii, qui Regias ibi partes reſuſcitare voluerant. Middletonus Parlamentarius cum X millibus, aut amplius, eſt Lancaſtriæ. Deus &c.

XIII/XXIII Julii MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Dicitur a Buda Legatus Viennæ exſpectari: dicuntur Portugalli in Beræ limite cepisſe oppida Sarſam et Gumaldum; Genuam venisſe ex Hispania duo milliones, partim pro Regiis reditibus, partim ex re privata. Quater mille Itali a Neapoli et Genua ire ad exercitum Regis Hispaniæ, qui eſt in Catalania. Contra, mari Gallis, qui in Catalania ſunt, venire cohortes quatuor. Card. Mazarinus Bibliothecam, antehac diebus jovis apertam, omnibus claudendam judicavit.

LXV.

L X V.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Præcipuum, de quo nunc agitur, eſt Gravelinga; die hujus menſis decimo octavo exuſtus fuit pons Mareſchalli Gasſionis. XIX ejusdem, Gasſionis milites ad pedem urbici propugnaculi ſe poſuere; ſed ignitis deſuper misſilibus coacti abſcedere. Vigeſimo, idem Gasſio cuniculum ſub propugnaculo fecit erumpere, militem ibidem poſuit, ipſe in ventre vulneratus eſt. Poſtridie, cum fosſores jam ſub duo propugnacula ſubiisſent, eodem tempore extremorum malorum comminatio urbi facta eſt. XXIII, Millerajus ſub aliud propugnaculum cuniculos disſilire fecit modico ruinæ effectu. XXIV, tres impetus facti in propugnacula, eo cum damno Gallorum, ut CCC ſint deſiderati, vulnerati autem CC. Tandem duo Mareſchalli ſuos in cacumine propugnaculorum poſuere non multos, qui ibi cum hoſtibus non plane dejectis ſunt pugnaturi; cuniculi novi parabantur, deinde ex omni parte oppugnatio, quæ eo celeratur magis, quod fama eſt, a Piccolomineo cuncta parari ad caſtra oppugnanda, quod tamen, an ſerio fiat, multi dubitant. Sparguntur etiamnum hic rumores de conventione ducis Caroli cum

Gallis; misit is quidem huc conditiones a se signatas, sed alias ab iis quas Galli miserant. Interea vero deprehensa est Sedani conjuratio pro Duce Bulionio. Auctor Furnerius e Reformatis captus nunc; pars cætera Romanenses, et in propinquo ad eventus exspectationem milites Beckii, partim etiam, si vera dicuntur, ducis Caroli. Galli, qui in Lotharingia fuere, partim se Mareschallo Turenæ, partim duci Anguiano sociant; utrique missæ pecuniæ, huic CL libræ Francicæ, alteri CCC millia scutatorum: hic ad Luxemburgicum est finem; dubitatur, an se juncturi sint. Gallici et Hispanici Burgundiones jus induciarum exacte colunt. Dux Carolus pecuniam Gallicam non accepit. Dicitur esse ad Longviacum. Melos et Piccolominæus habere putantur ad XVIII millia hominum. Novi dilectus ad X millia in Flandria fiunt. Sed et Gallicus exercitus augetur, et egregiis operibus defenditur: adsunt ad opera rustici ter mille. De Ilerda disconveniunt rumores: alii jam deditam credunt; alii delectam coitionem contra Gallos. Mottæ vero Odincurtii exercitum esse ad XV hominum millia. Chombergius Metim ivit, ad Aquas Chavigniacus. Veneti equites peditesque, de sua militia, et, per mercatores, pecuniam Hispano permittunt, ut ejus commendatione ab Imperatore obtineant prælationem præ Electoribus, quod, ut maxime id velit Imperator, Electores concessuri non videntur. Turcica classis ad naves LXXX, e Constantinopoli, mari Ægæo et Africa in unum collecta, Italiam territavit.

Ge-

Genua XII naves longas contra inſtruit. Præfectus Neapolis dimidium millionem poſcit ab ejus regni populis, ſane attritis. Legatus autem Imperatoris pecunias auxiliares a Papa, tanquam pugnans contra Hæreticos. Mediolanum eunt ab Hetruſco MCC pedites, equites D, partim per Mutinenſium fines, partim mari Genuam, inde per Geneatium fines. Pinſona jam capta, putantur Galli obſesſuri Cenſium, quæ via eſt ad Finale. Roma magis magisque munitur. Caſtro, loco imperii Parmenſis, detrahuntur munimenta; neque de firmitate pacis in illis locis dubitatur. Videtur Francofurti manſurus conventus, niſi forte ſub majori nomine Ratisbonam transferatur. Super litteris Gallorum et Imperatoris aſperis utrinque videntur prævalitura ibi conſilia, ad ſcribendum media. Plerique ordines pecunias, ab Imperatore contra morem petitas, jam ſolverunt. A Francofurtenſibus exiguntur ſubſidia, quæ dicuntur LX. Rumor eſt ibidem, Gallos a Suedis expetere, ut Monaſterium veniant, quod et mihi hic ſæpe propoſitum fuit; verum a me rejectum multis de cauſis. Etiam illud diſcimus, aucta a Duce Carolo præſidia, tum Wormatiæ, tum Spiræ. Friburgenſes bene ſe tutari proſperis etiam eruptionibus. Capta a Bavaricis ædificia ſuburbana. Conſtat fama, cæſos a Roſa hoſtium ſexcentos. Sunt litteræ, quæ Principem Thomam nunciant non Cenſio imminere, ſed Bremo. Auſtriacorum miniſtros multum laborare, ut Gallos ſuſpectos faciant

Helvetiis, quod facilius eſt illis, quam ſemet purgare. Deus &c. $\frac{XX}{XXX}$ Julii MDCXLIV.

H. Grotius.

Nuncium jam nunc accepimus, magnum ſane Ducem Aurelianenſem, die Jovis exacto, ingresſum ex pacto in urbem Gravelingam. In Anglia conſtat commisſum prælium, cujus pars utraque rumoribus ad ſe victoriam trahit. Rex dicitur ire contra Wallerum, Pr. Mauritius contra Esſexium. Regina ſcribitur esſe Falmuthi, in Cornuwallia. Fuit et in Tingi, urbe Africæ, ſed quæ olim Portugalliæ facta eſt accesſio, conjuratum contra Portugallos animo advocandi in urbem Caſtellanos, quibus urbs et machinæ, et hominum et rerum præda cederet. Ita nempe dicit Epiſtola Regis Portugalliæ; addit a duobus patribus filios, a fratre fratrem, ob hoc crimen apprehenſos, misſosque aut ab ipſis ductos Olysſiponam. Ilerdæ occiſus eſt in ſeditione Anglofilius, Regis Francorum conſiliarius.

LXVI.

LXVI.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Friburgum adventu Ducis Anguiani ab obſidione liberatum non aliunde creditur, quam quia Mareſchallus Scombergius id a Meti hic fecit nunciari. Si id verum eſt, pertinet ad oſtendendam hujus Imperii felicitatem. De Ilerda, niſi jam tranſiit, vix ulla ſpes ex ipſis Mareſchalli Mottæ Odincurtii litteris. Papa, mortalis non minus quam nos, vivendi finem fecit, ſatis ſane æquus inter communiones ſacras, Reges ac Principes; in ultima ætate minus ſui potens et obnoxius ſanguine proximis. Magnum ad res Chriſtianas momentum erit in eo, quod nunc agitur Romæ, ſive Hiſpanienſis, ſive Gallicanus fiat Pontifex, ſive ſui juris, ſive in electione fiant partes, ut antehac evenit. Sunt, qui putant, Card. Mazarinum ſuffultum pecunia Gallica, quam totam habet in ſua manu, non abesſe a ſpe iſtius faſtigii: nam Hiſpanis vix eſt, unde largitiones faciant, quantas facere ſolebant. Dux Aurelianenſis voluerat huc venire, et Ducem Elbovium in iſto imperio ſibi ſubſtituerat. Misſus hinc eſt Abbas Bentivoglius, primus inter Card. Mazarini amicos, qui Duci Aurelianenſi de capta Gravelinga gratula-

retur; de Elbovio diceret nihil mutari, dum ei adesſet Gasſio. Nam Millerajus, qui cum Gasſione male conveniebat, huc venit. Sed Dux Aurelianenſis nunc neſcio, an conſilium mutaverit, an vero articulorum doloribus retineatur. Regina Angliæ apud Nannetas eſt, creditur ventura Andegavum, deinde propius, ut Regis mariti ſui res commendet. Eboraco datæ ſunt a Parlamentariis in deditione conditiones ſatis æquæ, ut novum Caſtellum aliaque oppida hoc exemplo invitentur. Exiere milites ultra mille. Rex jam ad Parlamentum, quod Londinii ſive Weſtmonaſterii eſt, ita ſcripſit, ut volunt. Itaque Sabranus, pro Gallia reſidens, defugere non poterit, quin idem faciat; in litteris, quas Batavi attulere ſane veteribus, ſcriptæ nempe ſunt Decembri, aliquid Parlamentarii deſiderant. Pr. Robertus in Lancaſtria reparat vires adflictas. Rex ipſe in Somerſetia esſe dicebatur, adjunctis ipſi copiis, quæ ſub Hamptono fuerant. Esſexius Pr. Mauritium perſequi in Cornubiam. Wallerius Regii exercitus tergis inſiſtere; habere autem ſex hominum millia. Pr. Robertus accuſari, quod juvenili impetu rem in tantum discrimen adduxerit. Hiberni, qui Regi militant, Religionis Romanæ exercitio utuntur. Apud Parlamentarios, ſi qui eorum in manus veniant, ſuſpendio militiam luunt. Scripſere ad Parlamentum Leslæus, Mancheſtrius, Farfaxius, ne differant Eccleſiis regendis unum morem imponere. Romanenſes omnes Londinii in vincula dati ſunt; ſed peregrini qui ſunt, liberantur. Ibidem novum eri-

erigitur confilium militare. A Francofurto hæc funt, quæ cognofcimus: adhuc ibi plurimorum Principum ac civitatum fententias exfpectari fuper epiftola Gallica. Super hac re commemorari hiftoriam temporum Caroli V. Nam, cum ad conventum Ordinum Imperii, qui tum Spiræ agebatur, fcriptæ esfent litteræ acerbæ adverfus Imperatorem, qui eas tulerat fecialis, fine ullo refponfo remisfum eum esfe. Omnes vero, qui funt Francofurti, eo quidem esfe animo, ut pacis colloquia velint non abrumpi; cæterum plerosque ita cenfere, agendum ea de re Monafterii, non Osnabrugæ: nempe quod Suedos, Danico bello implicatos, velint ad tempus feponi, atque interim cum Gallis per Pontificis miniftros rem tranfigi. Videtur autem conventus ifte, qualiscunque eft, Francofurti fubftiturus, nifi mutetur in pleniorem conventum, qui futurus fit Ratisbonæ. Aula a Vienna Pragam itura dicebatur. Non dubium amplius erat Francofurti, quin Cæfarianorum agmen ultimum in receptu damnum a Rakoczio accepisfet, et Hungarorum pars magna averfo fit animo ab Imperatore, cui confequens, ut bellum iftud grave geratur fumtibus Auftriæ et earum terrarum, quæ proprie ad domum Auftriacam pertinent. In terris Maguntiacenfibus timebatur Hasforum reditus, ubi res fuas in Cauchis ex fententia pofuisfent. Fuit in Parlamento Pr. Condæus, ut edicta quædam, fuper quibus diu hæfitatum eft, impelleret; fed pendet adhuc ea res, ut et Ducis Aurelianenfis preces pro Abbate Riverio ut Cardi-

nalis ſiat, et pro Duce Vendocinenſi ut redire ei liceat, et pro Duce Bellifortio ut cauſſa ejus cognoſcatur, et pro Ranzovio ut Mareſchallus Franciæ fiat. Ex Italia diſcimus, Ducem Parmenſem Gallica ope uti velle, ut recuperet quædam, quæ dicit ab aureis Genuatibus ſine jure teneri. Duo militum millia a Præfecto regni Neapolitani mitti in Hiſpaniam; ibidem colligi naves longas, quæ ſe opponant Turcicæ claſſi ad Hydruntem conſpectæ, miſſasque litteras ad oræ et claſſium Præfectos, ut malo eant obviam: nam et Uticenſes naves ad Mondragonium dicuntur exſcenſum fecisſe, non ſine terrarum malo. Holſteinius a Barbarinis miſſus erat, ad ambiendam Ducis Hetruſci amicitiam: et dicuntur venisſe Romam vicies quater mille homines de Hetruſci ſubditis. Sermones ſunt de matrimonio Ducis Mercurii (Filius is eſt Vindocinenſis), aut cum Ducis Guiſii ſorore, aut cum filia Longovillani. Dicitur Mareſchallus Motta Odincurtius munire Comareſum, et periculum esſe, ne Ilerdæ fortunam Catalania ſequatur. Neſcio, an verum ſit, ictam fulmine domum, in qua Hiſpaniæ legati ſe tenent Monaſterii: hic quidem id accipitur, ut omen futuræ pacis cum damno Hiſpaniæ. Deus &c.

$\frac{X}{XX}$ Auguſti MDCXLIV.

H. Grotius.

Metuitur hic factio Lotharingica ad feſtinandam pacem. Dux Carolus ſe cum Hiſpanis in Flandria jun-

junxit. Ilerdam deditam Galli non ultra negant. De Friburgo nihil adfirmant. Dicuntur Turcæ in Calabriæ ora incendisſe Rupem Imperialem, modicum oppidum. Portugalli Novum Caſtellum, a Caſtellanis excitatum apud Salvaterram, diruisſe. Ad Aronam dicitur esſe Pr. Thomas. Eſt id oppidum et arx in rupe diſpiciente Lacum majorem, XIV milliaribus a Mediolano. Regina Angliæ venit huc in navi Hollandica, quam ſequebantur Anglicæ, quæ omnes vento favente effugerunt Parlamentariarum navium minas. Misſi hinc ad Reginam Angliæ Medici duo, cuſtodes corporis ex Prætorianis octo. Fama hic ſpargitur, neſcio an vera, Regem Angliæ, conjunctum cum Pr. Mauritio, habere XX hominum millia, cum eis eum ire contra Esſexium, qui credatur, viribus impar, in Pleymuthum ſe recepturus. Pr. autem Robertum recollegisſe militem ad XV hominum millia. Mortuus eſt Papa XXIX Julii. Nuncio, qui huc venit, nomen eſt Nicolaus comes Guidi Bagni; titulus Archi-Episcopus Athenarum. Is novam poteſtatem opperitur, quia quam attulerat morte Papæ vim amiſit. Pr. Contiacus, Pr. Condæi filius, declaratus eſt artium Magiſter, magno ſuo cum honore. Venit huc a Regina Angliæ Germanus præcipuæ apud ipſam gratiæ. Romæ dicuntur Galli favere Spadæ: Hispani Peretto itidem Cardinali, Itali Firenzuolæ Dominicano. Ducem Wirtembergicum audimus isſe Viennam, ut novæ conditiones tententur ſuper Hohentwila. Elbovius apud Gravelingam eſt; copiæ ejus apud op-

pi-

pidum Guiſam. Hiſpanici exercitus pars ad Mardicum hæret; pars major ivit ad prohibendos proceſſus Pr. Arauſionenſis. Rovillacus hinc mittitur extra ordinem Legatus in Portugalliam. Dux Anguianus habere creditur ſecum octo millia hominum. Mottæ in Lotharingia clauduntur exitus et aditus.

L X V I I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

A Conſtantinopoli diſco, Sultani gratiam in multos partitam, cujus partem non magnam habeat is, qui nunc eſt magnus Vizirius: partes alias Selectarus, unus familiarium Sultani; præterea Cadilesquenes Anatoliæ, Capitaneus Bacha et Aga Janisſariorum. Apud Principem in tot affectus diſtractum non mirum eſt ſi mutant conſilia; quæ pro Imperatore Germaniæ, an pro Rakoczio ſe ſint datura, docebit dies. Claſſis Turcica etiamnum apud Hydruntem conſpicitur. Romæ tumultuoſa videtur Pontificis novi futura electio. Noluit is, qui deceſſit, novos alios Cardinales facere, quanquam multum rogatus a proximis. Itaque Barbarini æmulos et plebem metuunt, domos muniunt, quærunt amicos. Cardinales propoſuerunt die octavo menſis hu-

hujus convenire ad comitia Pontificalia; ſed plerique volunt primum urbem liberari ab externo milite, qui multus in urbem venit, jusſu Præfecti Neapolitani, Ducis Hetruſci, Parmenſis et aliorum. Pr. Thomas, relictis nonnullis ad obſidium arcis Aronæ (nam oppidum cepisſe dicitur), cum cæteris Caſtellum imponit Novillæ, qui aquæductus Mediolanum verſus prætenditur; dicitur et Bremo exitus et aditus claudere. At Præfectus Mediolanenſis, ut in apertum posſit procedere, copias a Florentia Mutinaque exſpectat, et a Venetis equites quingentos. Ad Gallos e Romania advenire milites quadringenti. Ad repenſandum damnum in Ilerda factum, Galli dicuntur Tarragonam obſesſuri; addit rumor Mottam Odincurtium inde revocari, ut minus fortunatum Ducem: credo nocere ei, quod ab aula abeſt Nojerius fautor ejus et propinquus. Friburgum in Bavarorum manus venit XXVIII Julii. Poſt id juncti cum copiis Dux Anguianus (habebat is ſex peditum millia quatuor bonorum equitum) et Mareſchallus Turenæ, perruptis Bavarorum munimentis, peditem conciderunt aut ceperunt, præter eos, qui in urbem Friburgum ſe receperunt. Eques Bavaricus in loca montana concesſit, ubi eos Roſa perſequitur. Gratulatus ſum de hac victoria Pr. Condæo, qui non dubitabat, quin Friburgum brevi recuperaturi esſent Galli, aut impetu aut obſidione. Exſpectatur hic Dux Aurelianenſis, relicto ad Gravelingam Elbovio et Gasſione, quorum hic Caſtellum cepit ad Wattam, ſitu ferme

me-

medio inter Borborgum et S. Audomari oppidum, et ad intrandam Flandriam opportuno; dabit hæc res dolores Hiſpanis, qui non poterunt ſimul e ſaxo Gandavenſi ſubvenire, et ab hac parte ſervare Flandriam, cum maxime pronam ſeditionibus, ut Gandavi cum Melonis periculo apparuit, quem ægre Magiſtratuum cura ſervavit. Etiam Bruxellis motus quidam plebis fuit. Verum nec Gallia immunis ab hoc malo eſt, quippe hoc ipſo tempore lanii coierunt inter ſe, ne carnes vendant, quia in libram quamque impoſiti ſunt ſolidi quatuor. Hiſpani vero et Mardisko timent, ubi Romanis temporibus portus fuisſe creditur, novaque ibi excitant munimenta. Dux Carolus indicavit Gallis, ſe, cum nihil ab illis rebus ſuis conveniens intelligeret, junxisſe ſemet cum Hiſpanis, non alienum tamen a conditionibus, ſi æquiores in poſterum a Gallia adferantur. Nuncius, quamquam Papa mortuus, nec ſuffecto alio, receptus hic eſt, ut ſedis Romanæ negotium gerens. Videtur Dux Aurelianenſis id moliri, ut, ſe abſente, locum in regiminis conſilio impleat Abbas Riverius. Beckius in Luxemburgium rediit: equites quosdam ad eum finem, cum inde abiret, reliquerat Dux Anguianus. Augentur præſidia Campaniæ, Picardiæ, et circa Metim. Motta rurſum a Gallis eminus premitur magis quam obſidetur. Munit ſe magis magisque ad Wattam Gasſio, et Caſtello imminet, cui nomen Hermino. Paratur clasſis apud Masſiliam. Regina Angliæ et Pr. Thomæ uxor ſe mutuo conſpexere Salmurii. Inde hæc in hanc urbem ve-

venit, illa ivit ad aquas Borbonias, quarum lavacra paralyticis mederi dicuntur. In Anglia inter legatos Batavos et homines Parlamenti non optime convenit, ſpes pacis retro fugit, quia Parlamentariorum militum octo Rex ſuspendi jusſit, in ultionem Hibernorum, pari ſupplicio adfectorum a Parlamentariis. Nunc Parlamentarii et bello captos, præter Archi-Epiſcopum pridem in vinculis habitum, neci deſtinant. Et quosdam ſui conventus in carcerem dedere, ſuſpectos ex litteris interceptis, quæ ad Marchionem Novi-Caſtellium deſtinabantur. Rex Angliæ et Pr. Mauritius apud Exceſtriam copias ſuas junxere, et creditur eodem iturus Pr. Robertus. Elector Palatinus Londinii eſt, ut Parlamentariorum animos leniat, offenſos fratrum ejus militia, laboretque ad reſtitutionem Palatinæ domus, atque interim ut alimenta matri, ſibi, ſororibus ſuppetant. Pr. Robertus novi damni aliquid accepit, Leslæo ejus tergis inſiſtente, qui et augmenta copiarum accepturus erat a Mancheſtrio. Calander Novum Caſtellum cum XII millibus obſidebat. Mancheſtrius apud Douncaſtrum, Wallerius et Braunus non procul Oxonia, in qua urbe et disſidia esſe dicuntur et peſtilentes morbi. Esſexius Rinfelli copias ceciderat, ſubvenerat Plimutho, in Cornubiam partem militis miſerat. Qui ſub Comite Novicaſtellio fuerant, Romanenſes multi, disjecto eo exercitu in domos ſuos ſe receperant. Apud Londinium XII nova militum millia ſcribebantur. Farfaxius Eboraci erat. De Hohentwila nova pacta cu-

cuduntur Viennæ. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{XVII}}{\text{XXVII}}$ Augusti MDCXLIV.

H. Grotius.

Lanii adhuc vendunt carnes, quia Posſiaci, quo eæ adveniunt, heri nihil exactum eſt. Videbimus quod futurum ſit futuro Veneris die.

LXVIII.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ.

Illustrissime et Excellentissime Domine.

Verum eſt, quod Excellentia V. in litteris, xxii Julii et calendario vetere datis, conjicit, Danos hucusque miſisſe triumphos rerum inanes, nec defuisſe eis aures credulas, leve ſane lucrum ex fraude non diu valitura: ſed liceat illis falſis rumoribus et ſe et alios paſcere, dum res penes Suedos ſit. Magnum ſane decus Suedis hoc prælio partum eſt, et majora videmur merito exſpectare, tum mari, tum et terra, partim contra Gallasſium, partim contra Langvedelam. De Rakoczio hic etiam quæ audimus, ſunt proſpera; ſed totum hoc negotium de aula Conſtantinopolitana pendet, quæ natare videtur inter diverſa conſilia. Deus hæc omnia ad bonam pacem dirigat,

gat, misertus tandem tot durissima patientium populorum. Idem, Illustrissime et Excellentissime Domine, Excellentiæ Vestræ det omnia, quæ votis expetuntur. Lutetiæ $\frac{\text{XVII}}{\text{XXVII}}$ Augusti MDCXLIV.

Excellentiæ V. semper serviturus

H. Grotius.

LXIX.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ et D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Conveni Ducem Aurelianensem, atque ei de Gravelinga capta gratulatus, et alias in posterum precatus victorias, exposui causſas belli in Regem Daniæ. Dicebat se non dubitare, quin gravissimis de causſis id susceptum fuerit, seque in consilio Reginæ nostris rebus fautorem fore. Ostendi etiam belli illius causſas legato Veneto, dedique ei edictum Reginæ ad subditos, epistolam Senatoris Poloni ad Marechallum Torstensonium, et significationem, a legatis Suedicis, qui Osnabrugæ sunt, factam Imperatoris Legatis. Respondit omnia, quæ pacificatorem decebant; neque ullo modo dubitandum,

 quin

quin implicatos bello Germanico tam gravi Suedos nulla causfa, nifi plane necesfaria, egisfet in arma contra Danos. Non probari prudentibus tergiverfationes, quas inde captarent Cæfariani, nec quod repudiasfent accipere Suedorum præfcriptas litteras. D. Cerifantes D. Comiti Bryennio locutus eft de ineundis pactionibus. Refpondit ei D. Bryennius moris Gallici non esfe, ubi fit Legatus, eo prætermisfo, de pactis agere. Fuere Jovis die in Parlamento Dux Aurelianenfis et Pr. Condæus. Magna quæftio agitabatur, an Regina R., fi ipfa veniat in Parlamentum, ita ut Reges majores annis folent, posfit folo jusfu fine fententiis eorum, qui in Parlamento fedent, efficere, ut edicta probentur et Actis infcribantur. Captant Parlamenta pupillarem Regis ætatem, ut jura prope intermortua refufcitent. Et plebs fine Parlamenti auctoritate ægre paret Edictis, nec facile reperiuntur redemtores, qui absque ea fidem publicam tutam exiftiment. Fuit et alia dubitatio, an Dux Aurelianenfis, ut vicarius, posfit corporis fui cuftodes eo abducere, ubi Regina cum Præfidio eft, ut nuper in æde facra evenerat. Petuntur ab hac civitate mutui milliones viginti, pro quibus reditus quidam obligarentur: fed effugia quærit civitas, ob exempla promisforum antehac non bene impletorum. Tam Gratianopoli, quam in Languedocia motus fuere contra nova onera, non fine aliqua Magiftratuum cæde. Quidam in Basfiliam misfi funt novorum dogmatum fufpecti. Et Divione puncti judices inferiores,

res, qui foeminas ſola aquæ frigidæ exploratione magni criminis damnaverant. Vetita hic invectio mercium inutilium ex Hiſpania, ad ſervandas in regno pecunias. Tributa bellica, ad redimendas agri direptiones inter Gallos et vicinos eis Belgas, ſublata ſunt. Eccleſiaſtici in olim posſesſa Sedani reſtituuntur, ut quondam in Bencarno, aliunde asſignatis pecuniis, per quas indemnes fiant Reformati. Exercitus ſub Elbovio inter Borborgum, Bergam Flandriæ et Montem Caſtellenſem duabus fosſis et vallo terreno ſe tuetur. Procedit et opus Novi Caſtelli ſex propugnaculis ad Waltam, agiturque de ſtruendis aliis duobus præterea ad Wattendoncam et Dapam. Beckius ad Melonem abduxit bis mille pedites, equites octingentos; et Lotharingicos auxit Thannenius Longviaci præfectus, peditibus quinquaginta ſupra quadringentos. Abeſt parum a caſtris Gallicis ad Mardykium, ubi Lecium portum fuisſe volunt Flandrorum eruditi. Tenente ſe Piccolominæo, Friburgum non obſidetur. Hohentwila libera eſt, Bavaro et inde et e præſidiis colligente quantum poteſt militis apud Rotterburgum ab eodem Principe. Hatsfeldius ejusque copiæ ab itinere Lucemburgum verſus revocatæ ſunt, cum promisſo, ſe id apud Imperatorem, qui contra jusſerat, ex præſenti necesſitate ſatis excuſaturum. Galli in illis locis ſunt ad X equitum, ſeptem peditum millia: accedunt ex præſidiis, quæ Galli in Lotharingia et vicinis locis habent, decem millia, pedites pars maxima. Eunt verſus inferiora Palati-

 na-

natus, forte Stelhoviam oppugnaturi. Merciacus illis quantum poteſt itinera impedit, faucibus quibusdam infesſis. Vaubacurtius, acceptis a Villaregio copiis, Mottam in Lotharingia obſidet. Reginæ Angliæ coeli natalis hauſtus brevi in tantum profuit, ut manum, quæ ſiderata erat, movere ad ſcribendum incipiat. Putatur poſt lavationem in aquis Borboniis ventura Galeonum, quæ arx eſt ſpecioſo poſitu in Normannia, ut tanto propior ſit rebus Anglicanis, quæ Regi non optime procedunt. Scripſerat Rex ad Comitem Esſexium, ut ad ſe veniret et pacem populis redderet. Reſpondit, fidem ſuam Parlamento adſtrictam, ejus esſe de pace conſtituere. Electoris Palatini illuc profectio hic magnæ ambitionis ſuſpecta eſt. Manceſtrius Parlamentarius Dux Wilbecam in Nottingamia, cepit. Middletonus in Wallia Wartiam, conciſis nonnullis Pr. Roberti equitibus. Etiam Ejeri Regii tribuni cohors damnum accepit. Apud Abingtonum erat Wallerus. Hiberni CCCC ex Anglia in patriam rediere, ut Proteſtantibus vires ibi recolligentibus obſiſtant. Romæ, ut in interregno, multæ cædes fiunt. Pr. Thomas, deſperato, ut videtur, Aronæ arcis obſidio, et munitione ad Navilium, Alvam agitat, forte Sanctiæ imminens. Hiſpani illorum locorum adhuc intra oppida manent. Dux Anguianus et Mareſchallus Turenæ pontem habent et machinas multas, et accepere decies mille ſaccos farinæ, et pecuniam ad LX millia Piſtorienſium, ducenta millia Francorum per Baſileam. De Taragona a Gallis ob-

obſesſa et morbo Regis Hiſpaniæ rumores incerti. Aula Turcica multum adhuc fluctuat. Aga Janisſarorum factus eſt tertius Vizirius et primum locum ſperat. Tres alii Vizirii et Sultanarum mariti ab aula in longinquas provincias misſi ſunt. Rukiuptarus Iſchoglan ex puero cubiculari factus eſt Aga Janizzarorum; alii paris ordinis pueri et ſpado quidam Rhodum relegati. Selectar Sultani antehac Muſahipus, id eſt amicus primæ gratiæ, factus eſt Capitaneus Basſa in locum Eckiris Basſæ, qui jam et vitæ metuit. Præfectus armamentario et navibus longis ſtrangulatus eſt. In aula adeo mobili incertum eſt, an pacis cum Imperatore ſtudium ſit prævaliturum, an ſpes ex Rakoczii ſuccesſibus. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{XXIX Auguſti}}{\text{VII Septembris}}$ MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Regina R. in Parlamentum non ibit, videns ſibi de poteſtate moveri controverſiam. Senatores hujus Parlamenti dixerunt Duci Aurelianenſi et Pr. Condæo, ſe nihil malle, quam ut ad res necesſarias pecuniæ reperiantur; ſed eas quærendas non apud plebem exſuctam, ſed apud hirudines regni et populi. De Santyæ in Italia obſidione non ultra dubitatur. Prope Taragonam caſtellum quoddam, de Cremo nomen habens, Galli cepere. In Friburgum quingenti milites augendo præſidio intravere.

 LXX.

L X X.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenfem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Regina Regens fe adhuc parat profectioni ad fontem Bellaqueum. Pecuniæ controverfia ita compofita eft, ut Regina quosdam fit delegatura ex confilio ftatus et rationalibus et aliis; his XII alios additurum fit Parlamentum de fuo corpore, qui in urbis hujus divites, maxime vero eos, qui a XXX annis, aut ex quæfturis aut ex redemtionibus publicorum rem fecere, defcribant, quantum ad hujus temporis necesfitates collaturi fint: unde fperantur XX ferme milliones. Valde hanc rem promovit Dux Aurelianenfis, rejectis aliis commentis plebem nimis oneraturis. Idem Dux pergit pofcere jura vetera vicariorum regni, et ut Bellifortius aut liber emittatur, aut judicetur; et Abbas Riverius admitti in confilium Regiminis, et Cardinalis fieri fperat, contra nitentibus aliis. Reginæ Angliæ vomica fe aperuit fub mamillam dexteram. Creditur non abesfe a vitæ periculo; eft etiam nunc ad aquas Borbonias. Apud Waltam in Flandria pergitur inftruendis caftellis tribus, misfa in id pecunia ad quadraginta millia Francorum: milites ibi funt ad millia XX, latiusque fedes capiunt ob penuriam

pu-

pabuli. Vult eos impedire Piccolominæus, ad Mardykium ſe tenens. Lotharingici milites ibine manſuri ſint, an ad ſuperna Rheni, vocante Bavaro, redituri, incertum eſt. Beckius cum in Flandriam iret, aliis jusſis, apud Namurcum retentus eſt. Caſtellum apud Philippiburgum amni imminens ad Gallorum adventum a defenſoribus relictum eſt, pari de causſa, qua nuper Caſtellum Philippi ad Gravelingam, militum paucitate. Ipſum Philippiburgum nunc obliquis accesſibus petitur, verberaturque præterea machinis viginti et octo, molis circum exuſtis, abducto amne, ponte Gallorum mobili poſito ad Germeshemium. Sunt in Philippiburgo pedites quingenti, equites LX, agricolæ qui eo ſe receperunt ferme quingenti. Galli ad XXIV ſunt millia; adjunget eis bis mille et quingentos pedites, equites ſexcentos Magalottus, totidem alios Arnoldus. Bavarici ad Hailbrunam ſunt; reſtant eis a clade VIII millia; accesſere IV millia ab Hatsfeldio et Montecuculo, et exſpectantur copiæ aliæ, quæ ad Saxonem e Bohemia ituræ fuerant. Non obſtant hæc, quominus Galli brevi ſperent ſe potituros Philippiburgo. Bavarus a ſubditis ſuis ter mille equites accepit, promisſo pretio, ut eos, quibus equi periere, in equos reponat. Joh. Waërtius dicit, nunquam ſe vidisſe calidius certamen illo apud Friburgum. Merciaco gratiæ actæ ſunt, quod partem bonam exercitus machinarumque ſervasſet. Friburgi obſidium ideo dilatum eſt, quod et pabula ibi defecisſent, et ob multitudinem cadaverum hau-

ftus coeli esfet impurus. Spira trecentos Gallos præfidio recepit. Cantecroja, Wormatiæ minus tutam fe putans, Francofurtum venit. Ab Hohentwila ita difcesfere hoftes, ut commeatum omnem, tres belli machinas, et alia belli inftrumenta dereliquerint. Capta a Tubaldo Forfenicum, Etlingenuum, Bretta, Dorlacum: a Rofâ Bada, Cupenhemum, Brousfellum, Wislockium. D'Aumontius, oppido Germeshemio capto, arci imminet, oppido arcique Leuhtenhautæ Comes Palluaivus. Cesfere iis et alia loca Palatinatus inferioris ad utramque Rheni ripam, et interceptæ ejus, qui Philippiburgo præeft, ad Electorem Moguntiacenfium litteræ, quibus oftendit, nifi hoftis vi pellatur, fe diu fuftinere non posfe. Præfidia fua ferme ex omnibus Palatinatus locis abduxit Bavarus, præter Heidelberga et Francodalio; et hoc ipfum oppidum cum eo quem habet milite negat defendere fe posfe Rebollidus. Misfi, qui a Francofurto militem peterent; fed fruftra. Elector Moguntiacenfium creditur abiturus Moguntiaco, relictis ibi Canonicis fuis. Auftriacorum Miniftri acriter pofcunt ftrictiorem Ordinum Germaniæ inter fe conjunctionem, contra vim tantam externam. Manent rumores de Regis Hifpaniæ morbo. Molem Portui Taragonæ imminentem cepit, et fauces portus obtinet clasfis Bresfæi. Duo urbis propugnacula oppugnat Motta Odincurtius, fperatque fubterraneis operibus disjecturum fe muros, et, ubi plus militis acceperit, vi irrupturum in urbem. Sunt jam Romæ in conclavi Cardinales: in proxime

col-

collectis ſuffragiis XX et tria fuere pro Fiorenzola. Sacchettæ, amico ſuo veteri, favet hic Mazarinus. Card. Antonius Gallicarum rerum protector magno cum honorario declaratus. Duci Savellio legationem pro ſe mandavit Rex Hiſpaniæ. Columnæ et Urſini cum magno comitatu armati inter ſe minantur. Præfecto urbis ſecuritas urbis commendata maxima cum poteſtate. Dux Bulionius ad Urbinum eſt. Principum Sabaudorum copiæ apud Sanctyam ſunt, et in agro Novarienſi. Præfectus Mediolanenſis pauciores habet milites, ſed veteres, et ad legendos alios miſit tribunum Menſerum cum pecuniis. Neſcitur, qua de caùſſa in Bruttio militem poſuerit Præfectus Regni Neapolitani, et Genuenſes X navium longarum in mare deduxerint. Turcica claſſis ad oram eſt Illyrici. Mitto id quod Rex Britanniarum edidit, quo profitetur ſervaturum ſe religionem, Regimen Eccleſiæ, Liturgiam, ita ut ſub Edwardo, Eliſabetha, Jacobo Parlamentariis legibus ſtabilita fuere. Puritanorum commenta chimæricam Reformationem appellat. Elector Palatinus Londini accipietur magna cum pompa a Parlamentariis. Propinqui ſunt inter ſe in Cornubia exercitus Regis et Esſexii. Parca utrisque alimenta, niſi quod mari aliquid accipit Esſexius. Dedita Mancheſtrio arx Shefhieldia in Nottingamia: aliis Parlamentariis Ducibus Stalcia in Darbisſia, item Bolſoviria. Wingfeldum manebat obſesſum. Lesleus Caſtellum terrenum ad urbem Novi Caſtelli ceperat. Pr. Robertus ad Cheſturam hærebat. Ci-

vitas Argentoratensium duci Anguiano dedit CC millia Francorum; bis tantum ad eum missit Pr. Condæus. Hæc sunt quæ hic intelliguntur. Nos de Torstensonio læta exspectamus, quem, omni Jutia Holsatiaque derelicta, in penetralia Germaniæ ire rumor hic fuit, sed mihi non creditus. Deus &c.

Lutetiæ $\frac{\text{xxxi Aug.}}{\text{x Sept.}}$ MDCXLIV.

H. Grotius.

Obsessores Philippiburgi ad fossam pervenere. Bavarus equitatu valet; pedites non habet plus ter mille.

Regina jam hinc abiit ad fontem Bellaqueum. Pr. Condæus in Provinciam Bituricensem putatur iturus. Vaubecurtius non in Lotharingiam, ut fama erat, iturus, sed in Catalaniam. Et Megalottus non ad Ducem Anguianum, sed ut se opponat Beckio. Elbovius et Gassio in penitiora Flandriæ tendere. Relegantur hinc multi factionum suspecti. Parlamentarii Angli in conditionibus pacis, quas offerunt, exclusos volunt Principes Robertum et Mauritium. Ex iis qui Venetis militarunt, bis mille Bavaro parati sunt se addicere; sed sub magna mercede. Rex Hispaniæ ab Ilerda Cæsaraugustam rediit. Proposui hic, non dubitare me, quin et Sueciæ gratum futurum sit, et ad alenda Germaniæ studia utile, si quæ loca Galli in Palatinatu bello capiant, ea bene custodiant ipsi, at jus sinant reddi no-

nomine Electoris, ut inde ſpem concipiat recuperandi aliquando res perditas.

L X X I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Motuum novorum, quorum foecunda eſt Gallia, maxime dum pupilli ſunt Reges, ſemina multis in locis apparent. Pr. Condæus ivit ad retinendos in officio populos Bituriges. Dux Guiſius, metuens ex aura aliqua ad ipſum perlata, ne in carcerem conjiceretur, ad tutelam confugit Ducis Aurelianenſis, et per eum Reginæ R. eſt reconciliatus. Alii ex hac urbe ad rura miſſi. Parlamentum hujus urbis ſperat, ſe hoc tempore paullatim recuperare poſſe jura amiſſa. Dux Longovillanus dicitur iturus ad Reginam Angliæ, quæ jam melius valet, et, ut credo, veniet Fontem Bellaqueum, ut Reginæ Reg. ſua negotia commendet. Bavari exercitum habere dicuntur ad XVIII millia. Tres alæ a Beckio ad Bavarum miſſæ, pedites quosdam in Francothaliam, cujus obſidio timebatur, immiſere: ſed inde egreſſos conciderunt aut diſſiparunt Galli, quorum nunc conſilia adverſus Maguntiacum ire, miſſis eo a Mareſchallo Turenæ quater mille equitibus, mille Muſque-

quetariis. Espenanus Philippiburgum custodiet. Arnaldus sex mille ad Ducem Anguianum pertulisse dicitur quidem; sed populi, per quos transiit, dicunt non plures esse tribus millibus. Tubadelius quosdam hostium intercepit. Navis autem Gallica, res belli ferens, mersa ex nimio onere non procul Brisaco. Est in exercitu Gallico multum pecuniæ, disciplina castrensis melior quam unquam, admirantibus Germanis, et inde annona bene vilis, maxime ab Argentorato et Francoforto, cui urbi libera commercia. Spirensi autem collegio liberam jurisdictionem Dux Anguianus permisit. Quod si ita pergunt Galli, ut rebus ostendant se non ad dominatum venire, sed ad tutelam Germanicæ libertatis, poterunt et alias Germaniæ civitates ad suas partes allicere. Hæc cognita in conventu, qui est Françofurti, commoverunt animos. Et Episcopus Wurtsburgensis nihil malle dicitur, quam ut per æquas cum Gallia conventiones, gravibus axactionibus Bavaricis se et suos eximat. Cæsariani de Majore ac pleniore ordinum conventu Ratisbonam indicendo loquuntur. De Taragonæ obsidio bene sperant Galli. Cardinales in Conclavi priusquam Papam eligant, normas quasdam faciunt politici Regiminis. Utinam et quæ in Ecclesiastico sunt Regimine vitia corrigant, ne aliquando Reges cogantur eos docere, quid sit ipsorum muneris. Dux Vendocinensium est Venetus. Ab Hispania pecunia non ita magna venit Romam, promissa multa. Hispani ex Ticino multas machinas produxere, et incipit eorum exercitus apparere

ad

ad Novaram. Pr. autem Thomas creditur non omiſisſe cogitata de Bremo. Elector Palatinus, priusquam in Angliam iret, ſignavit foedus, quod inter Anglos et Scotos factum fuit. Conditiones pacis, quas Parlamentarii offerunt Regi, Joachimus, Batavorum Legatus, ait tales esſe, ut nemo ſit futurus vir bonus et prudens, qui eas ad Regem deferre audeat. Rex Angliæ in occidentali parte Regni ſui habet XXX hominum millia, nec longe ab ipſo abeſt Pr. Robertus cum exercitu non ſpernendo apud Briſtolium. Esſexius in arctum redactus dicitur a Regiis; at Parlamentarii ajunt a Plimutho ei venire commeatus mari. Addunt ire contra Regem Mancheſtrium cum equitatu; Wallerum vero cum novo peditatu conſcripto in Cantio ex Sudſexia, et copiis, quæ in ſeptentrionali parte fuerunt; in qua parte nihil Regi reſtare ajunt præter Novi Caſtelli oppidum, quod obſesſum eſt, Lattamum, et in Lancaſtria Leverpolam. Obſidio Bamburiæ in Comitatu Oxonienſi erat derelicta a Parlamentariis, ut inde Walleri copiæ augerentur; obſidium vero ad Pontem fractum et ad Cnaresburgum in Eboracenſi tractu durare. Middeltonus non longe erat ab Exceſtria. Archi-Epiſcopus Cantuarienſis rurſum auditus fuerat. Legati Batavi nihildum reſponſi acceperant, et dubitabant an diſcedere deberent. Redditæ tamen naves quædam ſunt, quæ ereptæ fuerant Batavis, et placet Parlamento reſtitui commercia, exceptis iis, quæ bello ſerviunt et aliis rebus quibusdam. Sabranus, Galliæ Reſidens, con-

conqueſtus apud Parlamentum de damnis, quæ Galli mercatores per hoc bellum civile paterentur; dixit ſe hac de cauſſa iturum ad Regem. Flandriæ, quæ proprie ſic dicitur, Ordines convenerunt, et forte ad res novas et concitata Gallorum conſentirent, niſi arcibus et magnis præſidiis impedirentur. Mittuntur ex eadem Flandria res neceſſariæ in urbem S. Audomari. Card. Mazarinus ad fontem Bellaqueum non ibi divertit, ubi Riceliacus ſolebat; ſed in ipſa arce, prope Reginam. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{XIV}}{\text{XXIV}}$ Septembris MDCXLIV.

Excellentiis Veſtris inſervire paratiſſimus

H. GROTIUS.

Copiæ miſſæ a Præfecto Neapolitano, cum prope ad Romam accedant, ſuſpectæ ſunt iis Cardinalium, qui non ſunt partis Hiſpanicæ. Claſſis Gallica ad Tarragonam, quæ erat longarum navium XII, aliarum XVII, aucta eſt ſex longis, aliis quindecim. Ex terra machinis ſexdecim oppidum verberatur. Rex autem Hiſpaniæ ex Tortoſa et Caniſio ad Iberum nititur ſubvenire obſeſſis. Briſacenſes milites intercepere pulverem tormentarium et pecunias, quæ ſub præſidio militari a Felinga Friburgum veniebant. Marchionis Sancti Chaumontii mors hic nunciata et vulgata fuit, et opinione non ex vero.

LXXII.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ.

Illustrissime et Excellentissime Domine.

In hoc temporis articulo, quo totus orbis Christianus judicaturus eſt, qui ſerio pacem, qui bellum velint, multum opto, ut, quicquid in procuratoriis inſtrumentis controverſiam pati poteſt, quamprimum tollatur, veniaturque ad ipſa rerum capita, abſcisſis moris; et ut Suediæ in ea re, ſuæ æquitatis exemplo, Gallis præeat. Cum eæ ſint, quas intelligo D. Torſtenſonii copiæ, maxime equeſtres, non culpo Gallasſium, quod virium certamen facere non vult; et libens intelligo, bona præſidia relicta ad oram maritimam, quasdam etiam obſidiones a Danis noſtrorum metu derelictas. Quibus ſi aliqua accedat bona mari fortuna, poterit ſperari aut cita pax in Septentrione, aut Batavorum et Anſiaticorum cum Suedis ad tuendam commerciorum libertatem conſociatio. Qui ex Cæſarianis Weſtfaliæ præſidiis contrahitur miles, is, credo, aut Mareſchallo Torſtenſonio aut D. Königsmarchio ſe objicere vult, niſi ab Hasſis retineatur, quorum conatus ſemper, hoc vero tempore maxime adjuvandi ſunt, quam ad rem et hic annitar: item ut judicia in Palatinatu reddantur nomine Electoris. Deus, Illuſtrisſime et Excellentisſime Domine, Excellen-

lentiam Vestram servet in rebus bonis. Lutetiæ xxi Sept./i Octob. MDCXLIV.

Exc. Vestræ semper ejus merito serviturus

H. Grotius.

Card. Mazarinus non sine periculo ægrotat.

LXXIII.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ et D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Video copiam navalem apud Suedos majorem nunc esse, quam fuit a multo tempore; et brevi, spero, nos magni aliquid inde audituros. Quod si citius, quam ego fieri posse existimo, pax fiat inter Suedos et Danos, tum putem paratæ jam classis usum egregium fore in Americæ partibus; quæ autem eæ sint, quæ maximam gloriam atque utilitatem adferre Regno Suediæ possint, parcam dicere, quum sciam, multos nunc esse in Ministerio Regni Suedici multum istarum rerum peritos. Tandem Roma Papam cædit, Pamphylium dictum antehac, nunc vero Innocentium decimum, bono nominis omine, ut et insignium, quæ sunt: columba in ore Oli-

Olivam gerens. Cæterum antehac fuit, cum Cardinali Francisco Barbarino, tunc legato, alienior a moribus Galliæ, Gallisque parum gratus. Poſtea nuncius fuit in Hiſpania, crediturque in Hiſpaniam quam in Galliam propenſior. Hoc tempore omni modo anniſa eſt Gallia, ſuadente Cardinali Mazarino, ne ille Papa fieret; contra res cecidit, conſpiratis partibus Romana et Hiſpanica, unde Card. Mazarino mœror creditur natus, et inde non levis quo tenetur morbus, quanquam ad hunc contulisſe non nihil poterunt res Catalaunicæ. Nam ad Tarragonam Gallorum exercitus depulſus fuit ab obſidione, magna cum Gallorum clade, quæ tamen hic rumoribus imminuitur. Ajunt hic, Hiſpanos tredecies mille venisſe ab Ilerda per Urgeliam. Mottam Odincurtium, relictis ad urbem Tarragonam peditibus bis mille quingentis et aliquo equitatu, cum cætero exercitu et machinis XII, et auxiliis Catalaunorum, ivisſe contra hoſtem; ſed fugatum, machinis ſarcinisque amisſis. Nunc eo mittitur Harcurtius, crediturque non ſuccesſor tantum, ſed et majus malum imminere Mottæ Odincurtio, eo quod pecunias undique ſibi corradendo exercitum exhauſerit, Catalaunorum autem animos multum a Gallia abalienaverit. Longe aliter in Germania ſe gerit Dux Anguianus, cujus curâ tuti ſunt ruſtici, vilis in caſtris per id annona, jus Spiræ dicitur, commercia a Francofurto et Argentorato et rurſum ad eas urbes liberrima ſunt, velut in alta pace. Itaque poſt Wormatiam etiam Moguntiacum valde

æquis legibus ſe Gallorum cuſtodiæ tradidit; eſtque ibi Gallia in meliore fama, quam unquam fuit. Pr. Thomas poſt Sanctyam captam, arcem novam Aſtæ obſidet, aliis conatibus aut temere coeptis, aut timide abjectis, ita ut querantur Galli periisſe hoc anno ipſis ipſius uſum et pecuniæ et militis illis in locis. Regina Angliæ valet meliuscule, et creditur ventura ad fontem Bellaqueum; credo ad recuperandam valetudinem ei profuisſe nuncios ex Anglia, qui adferunt, a Rege ita conciſas Esſexii copias, ut ipſe Esſexius cum comitibus XII mari ſibi ſalutem quæſiverit, ea via ad Tameſis oſtia, ac ſic Londinium iturus. Exſpectabatur autem apud Regem Pr. Robertus, cum altero bono exercitu; crediturque Rex agitare obſidium Plimuthi. Dux Aurelianenſis Blæſis adhuc eſt; ſed brevi in aulam rediturus. Pr. Condæum Burgundia exſpectat, Scombergium Languedocia. Dux Nemoroſius, quia in ſermone de Duce Beaufortio ſuam adverſus eum benevolentiam oſtenderat, Card. Mazarino factus ſuſpectus, et a Duce Aurelianenſi monitus ut adiret Cardinalem eique ſe purgaret, id recuſarat, niſi prius uxor ipſius, Beaufortii ſoror, ante aliquot menſes abſcedere ab urbe juſſa, ipſi redderetur, juſſus et ipſe abire eſt, idque ei coram Reginâ edixit Dux ipſe Aurelianenſis. Gaſſio in operibus ad Wattam pergit, ſed quæ pluvia et tempeſtas brevi interrumpent. De Mottæ Lotharingicæ obſidio durant rumores; eſt in propinquo Magalottus cum peditibus quater mille et equite nonnullo, et Vau-

be-

becurtius cum militibus non multis. Portugalli incursare Andalusiam dicuntur. De Papa etiam hoc intelligimus, propinquum ejus quendam, quem Cardinali Antonio commendaverat, a Cardinali Antonio cum ignominia repulsum, unde inter ipsos odia, quibus sanandis proponunt nonnulli matrimonium inter filium Thaddari Barbarini et filiam fratris Papæ. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{xxi Septembris}}{\text{1 Octobris}}$ MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Qui hic vulgantur rumores, dant Papæ annos LXXII. Ante eum Papam factum decretum est a Cardinalibus, ne propinqui Papæ reditus accipere possent, ultra XX millia scutatorum, ne Principatus acquirere, ne protectores fieri regnorum. Sapienter utinam sic et cætera. Gassio dicitur cepisse in Flandria novum Fossatum et Abbatiam Blambergæ, loca infirma. Hispani, illorum locorum duces, Tenerimondæ conventum habent, diciturque esse controversia inter Castelliroderium et Piccolominæum, de regimine rerum. Magna pars Flandriæ ejus, quæ Gallicana dicitur, tributa incipit pendere Galliæ: pars aliqua militum Gallorum, qui in illis locis fuere, ad Rhenum it; subsequuntur eos milites Ducis Lotharingi. Libellos multos Galli in Flandriam spargunt, ut eos ab Hispano abstrahant; sed sine fructu. Dux Aurelianensis a Regina R. revocatur in aulam. Quater ferme mille Hassorum,

partim pedites, partim equites, ſunt apud Ducem Anguianum, et Hockſtram ſibi cepere. Elector Maguntiacenſis Coloniam ſe recepit. Apud Oppenhemum (nam et eum locum Galli cepere) pons a Gallis fieri diciur. Urbs Maguntiacenſium levi collatione apud Gallos defungetur. Valde displicebit aulæ Viennenſi et res ipſa et exemplum. Si hoc facit Elector, ſi Spira, quid non in poſterum erit excuſabile? Videntur autem Galli velle adoriri Bavaros, qui in agro ſunt Wirtembergico. A Darmſtadienſi terrâ ingens fit fuga. Spargunt ibi Cæſariani rumores adverſos de Coningsmarchio; ſed parum reperiunt fidei ſoliti talia confingere. Mittitur hinc Marchio Rovillacus extra ordinem Legatus in Portugalliam. Dicitur comes Anſtrinus pro Rege Angliæ invaſisſe Scotiam, et, adjunctis ſibi VII Scotorum millibus, obſidere oppidum Lanſtonium, non plus XX milliaribus ab Edimburgo.

L X X I V.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Card. Mazarinus febri laborat tertiana genuina, quæ a continua parum abeſt, et vix ullum intervallum relinquit ad ſenſum ſanitatis. Regina R. jam hic

hic esset, nisi Cardinalis eo morbo attineretur. Ubi huc venerit, veniet et Regina Angliæ, quæ nunc est Niverni, et ibi, ad instaurandas vires, lac asinarum bibit. Dux Aurelianensis vocatu Reginæ R. rediit ad fontem Bellaqueum. Pr. Condæus in Burgundia est; filius ejus, Dux Anguianensis magna in fama princeps, rebus ad Rhenum] ut oportet constitutis, creditur in aulam rediturus. Catalaunorum legati his diebus a Regina R. auditi sunt: dixere rem ibi bene processisse Gallis, cum Rex defunctus ibi præsens adesset: itidem nunc res ab Hispanis gestas feliciter, ideo quod Rex ipsorum adesset. Rogabant ergo, cum Rex Galliæ non ejus esset ætatis ut armis præesse posset, mitti in illas terras sane periclitantes Principem de Regio sanguine. Non video, quî id fieri possit. Nam Dux Anguianus, etiamsi huc excurrat, ut in Germaniam redeat, res exigit. Pr. Condæus apud Ordines Burgundiæ Ducatus res Regis pecuniarias bene promovit. Dux Aurelianensis non facile se committet cœlo insalubri et populo valde mobili; sed, ut scripsi antehac, ibit eo Comes Harcurtius, de Lotharingica domo illustris, et meritis in Galliam illustrior. Gassio, in Flandriam Gravelingæ proximam penetrans, prædas inde egit: cepit autem loca hæc non magni ad rem momenti, neque tamen inutilia ad progressus alios, Novum Fossatum, Castellum Rougium, arcem Reneculam, Abbatiam Blambecam. Bavaros Landaviam munire audimus: a Beckio autem quingentos intrasse in Francothaliam. Nihil

adhuc agunt Magalottius et Vaubecurtius. Comiti Harcurtio ad res Catalaunicas audio dari octingenta Francicarum librarum millia, et fupplementum militum octies mille. Inter Marefchallum Millerajum et Comitem Ranzovium Regina R. pacem fecit aliquam; fed incertum an folidam. Ex Belgicis partibus audimus, rem ita comparatam inter Caftelli-rodericum et Piccolominæum, ut hic militiæ, ille civili regimini fit præfuturus, donec certiora mandata adveniant. Legati, qui cum eis fuere Tenerimundæ, valde in id inftiterunt, ut Ecclefiaftici ad bellum contribuerent pro fuis opibus, magnamque pecuniam obtulere ad belli ufus, fi modo ea tractetur per homines ab ipfis dilectos: quæ conditio, olim adjecta tributorum perrogationi tempore Philippi II, Hifpaniæ Regis, bellum cum Gallia gerentis, principium fecit alienationis ejus a Belgis, et tot, quæ fecuta funt, malorum. Ducis Caroli copiæ apud Valentinianas omnia circum fita populantur, ut folent. Deus &c. XXVIII Septembris / VIII Octobris MDCXLIV.

H. Grotius.

Pontifex fimul e conclavi exiit, ad fe vocavit fratrem Card. Mazarini, dixitque ei, quæ caufſæ fuisfent inter ipfos fimultatis; fed fe factum hac electione hominem novum, velle veterem oblivifci, et amicitiam cum Mazarino velle colere: nimirum quod intelligat, et quantum Gallia Romæ posfit, et

et quantum in Gallia Mazarinus. Vecklius a tractu Colonienſi ivit ad Confluentes Rheni et Moſellæ; habere dicitur bis mille milites, ſperare autem habiturum ſe duodecies mille ex iis, quos ei adjunget Dux Carolus et Beckius. Intelleximus, apud Alcairum magnos esſe motus. Ab Rhodo Conſtantinopolim rediisſe Islainum Gocraſum de ſtirpe Regum Precopenſium. Bacham Tripolis Africanum ſuſpectum esſe Conſt. Naves longas XXIII, misſas ad Pontum Euxinum, nihil ibi egisſe. Francofurti civitas et munimenta auget, et militem legit ſuæ tutelæ. Hatsfeldius, Mercius, Joh. Waërtius dicuntur esſe ad Urſelam. Bavari autem non longe Hanaviâ caſtra facere. Aſtæ arx teneri ab octingentis militibus, oppugnari vero ſtrenue a Principe Thoma. Interim Nicæam, quæ dicitur Paleæ, obſident Hiſpani, in qua præſidium ſit Gallorum quingentorum et totidem prope Helvetiorum. Decem naves longe a mari Catalaunico Masſiliam rediere. A Parlamentariis Anglis arx Bæſinga obſidetur.

L X X V.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ.

Illustrissime et Excellentissime Domine.

Filiorum eſt paterna tueri beneficia. Quare cum Legationem hanc excellentisſimi et incomparabilis viri D. Magni Cancellarii dono acceperim, eſt ea in

fide tutelaque Excellentiæ Vestræ. Inter alia autem D. Magni Cancellarii in me benigna humanaque facta, est et hoc, quod gnarus, me diu hic fuisse sine ulla Suedica pecunia, ita ut, ad sustinendum honorem hunc, eam aliunde cum meo magno incommodo corradere necesse habuerim, suppellectilem autem, qualem dignitas exigit, nullo publicitus adjumento meo mihi ære paraverim: ob id voluit mihi anticipatam atque præ manu dari pecuniam semestrem, qua de re litteras ipsius habeo. Nunc vero video a nonnullis hoc agi, ut hoc mihi solatium auferatur; cum tamen, etiamsi istud mihi maneat, multum quotannis expensæ scandant super accepta; meritoque propterea speraverim fore, ut Regina nostra clementissima, edocta per eos qui hic fuere, quantum creverint rerum omnium pretia, pro eo modo etiam suam largitionem augeat. Id dum exspecto, velim ut maneat mihi id, quod mihi tam justis de caussis concessit Magnus D. Cancellarius, ad quem de hac ipsa re scribo. Vestramque Exc. precor, ut mihi propitia adjutrixque sit, fidissimo splendidissimæ domus clienti. Deus, quicquid ea pro me factura est, Illustrissime et Excellentissime Domine, ipsi benigne & cumulate repenset. Lutetiæ $\frac{\text{xxix Sept.}}{\text{viii Octob.}}$ anni MDCXLIV.

Excæ. V. perpetuum servire desiderans

H. Grotius.

LXXVI.

L X X V I.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suecicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Card. Mazarinus ægrotat quidem adhuc, ſed, ut dicitur, minus quam ante. Regina R. in ipſius morbo magnum oſtendit moerorem, ita ut et comoediis ſpectandis abſtineat. Non item Dux Aurelianenſis, qui in aula eſt, ubi et Pr. Condæus intra paucos dies exſpectatur. Regina Angliæ adhuc Niverni eſt, macro ſatis corpore, quod reficere parat lacte aſinarum, deinde huc venire, ubi huc venit et Regina R. Sunt autem litteræ interceptæ D. Germani, qui apud Reginam Angliæ in maxima eſt gratia, et Reginæ ipſius ad Regem Angliæ, a Parlamentariis: in iis litteris pro certo affirmatur Regi auxilia hinc adfore, ubi in hyberna reducti erunt milites. Multas tales ſpes dare ſolent Galli, deinde excuſationes reperiunt, ut nunc ex clade ſane gravi, quam accepere in Catalania, cui ſanandæ dicitur ſe ſubtrahere Comes Harcurtius; et cogitatur in aula de mittendo in illas partes Scombergio, ideo, quod amatur a Nobilitate Languedocica, quæ propinqua illis eſt locis, et ſolet ex benevolentiâ multa in ducem facere, quæ ex imperato non faceret. Apparet ex iisdem litteris, ſi

Gallia in hoc negotio cunctetur, impellendam per Pr. Araufionenfem, qui, ni id fiat, ea impediat apud Batavos, quæ fieri Galliæ expedit: quæ machina et antehac intentata fuit Galliæ cum Gravelinga obfideretur, rogato Pr. Araufionenfi, ne Batavorum naves, pro magna quam ibi habet poteftate, ire ad obfidionem illam juvandam fineret, nifi Gallia res Angliæ Regis cordi fibi esfe oftenderet. Gorinus, Legatus hic Regis Angliæ extraordinarius, brevi valedicet Reginæ R. Creditur autem, quia magnas hic expenfas fecit, nullo Angliæ commodo, parti utrique invifus, exfpectaturus Cadomi in Gallia, quo fe fit datura fortuna partium in Anglia: nimirum ut fit præda victoris, quod Romæ de fe dicebat Afinius Pollio. Plane autem comperimus, novam in Scotia esfe factionem pro Rege, adjutam ab Hibernis: unde fperant, qui hic funt rebus Regis Angliæ faventes, ut qui in Angliam venere Scoti, domum, ad ifta mala arcenda, proficifcantur. Litteræ ab Anglia hoc tempore non venere; dicuntur autem retentæ a Parlamentariis, ideo quod Londinii et alibi tumultus fint orti inter eos, qui illam Ecclefiæ gubernationem, quæ jam pridem in Anglia fuit, repudiant, inter fe non minus quam ab illa gubernatione discordes: quod fieri necesfe eft, ubi folo novitatis ftudio vetera et diu approbata displicent. Audio etiam ex amicis, Regem Galliæ, ut Card. Mazarinum, a quo uno nunc omnia Galliæ pendent, propitium habeat, conftituere, ut pofthac qui ab fe venient le-

legati ipſi cedant, etiam apud ipſum. Quod ſi ita, ut hic dicitur, evenerit, ſcire velim, an eum morem ſequi debeam. Utilitas forte id ſuadeat, dignitas Regni, an id patiatur, neſcio. In Germania res Gallicæ magnos brevi auctus habuere. Nam poſt Maguntiacum capta eſt Binga, Bacheracum, Landavia. De Noviſtadio et Fridelshemio eo magis videor gaudere debere, quod filio meo poſtremo natu data ſunt mandata et copiæ, ut ea caperet, quod ei bene ſucceſſit. Et nunc is a duce Anguiano et Mareſchallo Turenæ miſſus eſt ad Haſſiæ Landgraviam de rebus in commune profuturis. Fuere in Landavia, cum dedita eſt, milites quadringenti: per dies quinque defenſa eſt; dedita Septembris die XXIX. Tria Haſſorum millia fuere, quæ Hockſtram cepere. Sed cum veniſſent in illas partes primum Sprechius, tribunus cum militibus ſexcentis, deinde Joh. Waërtius cum millibus IV militum, adductorum ex locis ad Coloniam Agrippinenſem, illi celeri in patriam reditu ſibi conſuluere. Nunc Galli Hockſtram procantur. Bavarici fine Septembris inter Heidelbergam et Hailbrunam erant: ſperabant autem Galli qui in illis ſunt locis, ſi ad ſe acceſſiſſent, quas propediem exſpectabant Magalotti copiæ, ſe effecturos, ut ad Danubium ſe recipiant Bavarici. Dux Anguianus huc venturus creditur, ut adverſus longos labores urbana quiete ſe recreet. Reſidens Electoris Palatini fuit in aula ad fontem Bellaqueum, rogans ut Electori permittatur jurisdictio in ſuis locis, utque populi ei fidem jurent, ſicut

ſicut Badenſes Marchioni ſuo nuper, Gallia volente, fecerunt. Reſponſum ei id fieri poſſe, ſi promittat Elector, ſe permiſſurum ſemper in ſuis terris ſacra ritu Romano. Ipſe autem Reſidens reſpondit, ſi qui ſint in terris Palatinis, qui cum Roma ſentiant, illis facillimum eſſe conſcientiæ ſuæ ſatisfacere in locis admodum vicinis, qui ſunt ſub Epiſcopis Maguntiacenſi, Spirenſi et Wormatienſi: et eo reſponſo olim, cum multum in illis locis valerent arma Gallica, contentum fuiſſe D. Feuquerium. Magna hic conſternatio perturbatioque animorum eſt ex clade Catalaunica, et, ut ſolet malis publicis aliquis reus ſubdi, vehementer accuſatur Mareſchallus Motta Odincurtius, quod, cum pecuniam popoſciſſet, eaque ei eſſet miſſa, et major et citius quam petiverat, tamen et exercitus ejus fieret pertenuis, et nulla copia aut globorum aut pulveris bellici. Ex claſſe Gallica, qui ad ejus copias augendas miſſi fuerant octingenti, prope omnes periere. Neſcio, an verum ſit quod dicitur, in Mediolanenſi tractu e militibus periiſſe adverſus duces reverentiam, et ruſticos ob graves injurias arma opponere militibus. Pontifex ubique Nuncios mutat, hic, in Hiſpania, apud Imperatorem. Apud ducem Anguianum et Mareſchallum Turenæ equitatus eſt bonus, peditatus, niſi ſuppleatur aliunde, ad tria millia; multum nempe ejus in tot præſidia per urbes arceſque diſponenda inſumtum eſt. Bambergius, qui Philippiburgum ſane præpropere dediderat, Viennam ducitur ad cauſſam dicendam. Creditur

Cæ-

Cæſarianis id eſſe propoſitum, colligere quantas poterunt copias ex ſuis et Lotharingicis, ut, ſi poſſint, recipiant loca amiſſa, præcipue Bingam et Maguntiacum. Mareſchalli Turenæ milites quosdam e Franckendalio, illi vero, qui e Briſaco exierant, egreſſi, egreſſos e Friburgo ceciderunt. Motta Odincurtius Servicetæ eſt. Rex Hiſpaniæ, neſcio an, quod verum id ſit, an quod hic expediat id credi, dicitur ægrotare Ilardæ. De Ducis Bavariæ morte rumores quidem hic ſunt, ſed nihil dum certi habentes, niſi quod ætas ejus mortem brevi promittit. De Motta Lotharingica obſidenda nullus ultra ſermo: omnis cura ad cuſtodiendum Rhenum et Moſellam vertitur. Dux Carolus, ut mos ipſi eſt, omnibus ſe venditat: mittit nempe Viennam, Monachium et huc. Franciſcus Nelo jam hac tranſiit. Reginam R. non vidit. Galli ad ſanctum Michaëlem in Lotharingia arma et commeatus convehunt. Aſtæ arx nova Pr. Thomæ dedita eſt fine Septembris. Gaſſio caſtella cepit in Flandria Cambronem et Agrinum: præterea disjeciſſe dicitur turmas Hiſpanorum ſeptem ſupra triginta ad Steinfurtum, quæ ſe partim ipſam, partim ad montem Caſtelli receperint. Aditus exitusque oppidi S. Audomari multum impediuntur a Gallis, qui in proximo arcem tenent, quæ Arquia dicitur. Hæc habemus non mala, det Deus meliora, idemque &c.

Lutetiæ $\frac{\text{V}}{\text{XV}}$ Octobris MDCXLIV.

H. Grotius.

Elec-

Elector Maguntiacensium Aschafnaburgum se recepit. Glenius et Vesslius ad Confluentes Trevericos auxilia Lotharingica exspectant. Dux Bavarus omnem insumit operam, ut Imperatorem cum Rakoczio componat, reprehendens, quod non pridem Rakoczio concessa fuerint quæ petebat. At Cæsariani, qui Francofurti sunt, de ea pace loquuntur, ut de re perdifficili. Dicitur autem Rakoczius transiisse Tibiscum, et tenere Hungariam superiorem; ipse autem Imperator Lentzium iturus, ideo quod Vienna laboret morbis contagio fluentibus. Fuit hactenus præsidium Maguntiaci perexiguum; sed, cognito periculo, adjuncti sunt equites mille. Philippiburgum multis Castellis coronatur. Maxima pars exercitus Gallici ibi est, et exspectat Torstensonii adventum, quem alii dicunt ire Erfurtum, alii vero congressum prælio apud Lipsiam cum Galassio, cui adest Enchofurtius Saxonicorum ductor. Hi dicuntur nunc se reficere in terris Anhaltinis. Coningsmarchii cohortes quatuor cæsæ aut fugatæ dicuntur a Brovajo. Hatsfeldius, Mercius, Waërtius esse trans Nicrum, ut observent quæ acturi sint Galli, ad quos tria millia a Magalotto advenere, sane in tempore; nam equitatu quidem valebant, sed peditatus, tot locorum præsidiis imminutus, ad tria millia decreverat. Ad loca a Gallis capta addenda arx Magdeburgum nomine prope Landaviam. In Portugallia nova proditio detecta est in necem Regis, Reginæ, Principis. Caput conjurationis erat Montawanus Marchio in summa

Re-

Regis Portugallici gratia, ſed prævaluerat apud ipſum promisſum Regis Caſtellani de Ducatu Brigantiæ, et ipſe Marchio, et cum eo alii, patibulo ſuſpenſi ſunt. Dicuntur præterea in Portugalliam advenisſe tres naves ex India Aſiatica, quæ ferant milliones XII. Rex Angliæ Digbyum Romam mittet, ubi Barbarini, feroces antehac, gratiam captant ejus, qui filius eſt fratris Papæ. In Catalania amnes ita excrevere, ut Tarba vicus aquarum vi perierit. Ad Mottam Odincurtium, qui Servieræ tenues colliget exercitus reliquias, misſa ſunt IV millia hominum. Tranſiit hæc non tantum Melo, ſed et Michaël Salmanticenſium legatus, ob pacem Monaſterium misſus; viderunt alterum prope hanc urbem, Reginam R. neuter. Papa et tres novos Nuncios mittit, ut dixi, et tres legatos, ut Imperatori Regibusque Galliæ et Hiſpaniæ pacem contendat. Eiſenſtadii in Hungaria ex rixa eadem ortam audimus inter Husſanos et oppidanos. Bavarum ex ruſticana plebe armasſe ad ſeptem M. ſed qui extra Bavariæ fines militare nolint. Copias Saxonicas jusjurandum dixisſe Imperatori: Bavaricos esſe ad XV millia, ab iis multos vicos apud Francofurtum incenſos, quod ea civitas tranſitum ipſis negasſet. Papa annos habere cognoſcitur LXXII. Dicitur Gillo Hasſius ex Italia Bavaro adducere mille equites, pedites mille quingentos. Regii Scoti Tonſtonſum et alia oppida cepere.

LXXVII.

LXXVII.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Regina R. huc rediit, eſt in eodem cum ipſa Italatio Card. Mazarinus ideo, ne, ubi conſilium habendum eſt, de loco in locum transferri debeat, cum valetudinis nondum perſanatæ incommodo. Conveni Reginam nudius tertius, eique gratulatus ſum de tot urbibus et caſtellis captis in Germania. Laudavi multum proviſus factors de rebus neceſſariis, et diſciplinam militarem, et commerciorum libertatem, et litteras ſcriptas ad Germaniæ Principes, et reſtitutionem Marchionis Badenſis in ſua bona, ſperans etiam, domui Palatinæ diu afflictæ initium melioris fortunæ futurum a bonitate Reginæ. Res deinde noſtras ad Salam, in Holſatia, Scania, Norwagia, breviter exſecutus ſum: addidi, felicitates eas non obſtituras, quominus hortamenta Reginæ R. ad pacem valeant, modo ſtatui publico ſua ſtet ſecuritas, foederibus ſua vis, commerciis externis ad nos aditus ex antiquis moribus. Ad Germaniæ quoque pacem nihil ex Suedica parte defuturum: ideo ſeponi minuta quædam, quæ disputationem recipere posſint. Reſpondit Regina R. generatim de bono ſuo affectu. Ibo gratulatum

eti-

etiam Pr. Condæo et Duci Anguiano, ambo nempe hic ſunt. Bavaricis exercitus ad Lademburgum eſt creſcitque. Dux Anguianus quas adduxerat copias, eæ nunc hiberna capiunt inter Sacram et Moſellam. Apud Mareſchallum Turenæ manſit equitatus bonus, peditatus prope omnis in præſidia abſumitur, ideoque augeri hinc debet, quod ipſum quoque Reginæ R. commendavi, et commendabo Principibus et rerum adminiſtris. Sperant Hasſiacas copias illuc venturas, et filius meus, qui iilis in locis militat, ob id ipſum misſus fuerat ad Landgraviam. Id ut fiat, opus erit, controverſias natas trans Amaſim componi, ita ut res Hasſicæ nihil inde accipiant detrimenti. Miſit Regina R. uxori Pr. Arauſionenſis adamantem, qui valeat XX millia ſcutatorum. Egresſi ab Hohentwila quosdam egresſos a Cella aggresſi, ad XXX interfecere, cepere alios. Pontificem disſenteria laborare rumor eſt apud Helvetios. At inter Gallos et Hiſpanos natas ibi rixas, et Gallorum quosdam occiſos conſtat. Bavarici Manhemum cepere, occiderunt equites et draconarios ad ducentos: qui eis præerat, Roſam ægre elapſus. Galli Francothaliæ aditus et exitus præcludere conantur, obſidionem ejus, ut videtur, meditantes in annum futurum. Catholico-Romani in Germania Principes ſperant, per Bavarum ſe in Gallia obtenturos, ut a belli malis eximantur. Sed Bavarici tum in hoc negotio, tum in illo pacis Germanicæ, ſemper excipiunt, ſe, quæ posſident, ſalva ſibi velle. Litteræ Reginæ R. a Principibus Ger-

manis melius acceptæ ſunt, quam illæ legatorum Gallicorum antehac. Francofurtum venturus putatur Maguntiacenſium Elector. Imperator Lintziam ire; cujus legatus Tzerinus in itinere ad aulam Turcicam mortuus eſt Adrianopoli. Regina Angliæ, meliuscule valens, eſt ad fontem Bellaqueum, inde huc traducitur intra paucos dies. Comes Harcurtius tandem, urgente Regina, ſuscepit Provinciam Catalaniam, dummodo pedites dentur ei duodecies mille, quater mille equites; ſtipendia militi in annum quoquo menſe, et poteſtas prælio certandi: ſine quo negat, res ibi pæne proſtratas posſe reſtitui. Balagueria intra horas XX et IV. armis Caſtellanis cesſit. Flixia aut obſidetur, aut et ipſa jam capta eſt. Serviera itidem obſideri creditur. Pr. Thomas ad obſidionem Finalis ſe parare dicitur, nulla re magna facta hoc anno. Gasſio ad Waltam rediit. Piccolominæus XIV millia ſecum habere dicitur ad commeatus inferendos. S. Audomari oppido, quod Galli ut impediant, educunt quantum posſunt militis ex præſidiis Ardreſiæ, Gravelingæ, Caleti. Rumor de ejecto a Bingæ in Germania oppidanis præſidio Gallico, comperitur non verus. Regi Angliæ, a Briſtolio Wintoniam, ut creditur, petenti, opponunt ſe hinc Esſexius cum Wallero, inde Manceſtrius, quorum copiæ auctæ ſunt accesſione quinque novarum cohortium a Londinio. Braunius Parlamentariis ab Abengtono Oxoniam usque curſitat; earundem partium Meldrunus et Breritonus ivisſe dicuntur ad obſidendam Worceſtriam. Addunt, qui

qui Parlamento favent, in Regis exercitu multos esse morbos, et qui imperio Regio ad arma coguntur, eorum multos dilabi. In Scotiam qui venerant Hibernos compulsos in loca montana se recepisse. Archi-Episcopus Cantuariensis postremum interrogatus in Parlamento est: quæ maxime ei objectantur sunt, quod juramentum, quod a Regibus Angliæ præstari solet, mutaverit; quod eandem vim esse voluerit consilii Regii decretis, quæ est Parlamenti; quod antehac dissolvendi Parlamenti auctor fuerit, promittens Regi pecunias, quibus opus esset, per vias alias. Ignis fortuitus Oxoniæ partem absumsit. Decrevit Parlamentum, ne posthac Ministerio Ecclesiastico fungantur, nisi ad hoc publice electi, gnarique sermonis Latini, Græci, Hebræi. Nondum certo scimus, an Lotharingiæ et Beckii copiæ, quæ ad Confluentes fuere, inde ad Bingam ad Bavaricas se adjunxerint. Morbi sunt etiam in Gallico exercitu, qui in Flandria est. Deliberationes hic quotidie fiunt de re Palatina. Electoris iter in Angliam non probatur. Bavaricæ copiæ per se ad XIV. sunt millia. Equitatus Mareschalli Turenæ ad sex millia: de peditatu, præsidiis omnibus auctis quantum opus est, ægre nunc mille restant. Dicunt Galli, se urbem Trevirorum capturos fuisse, nisi Helvetii, qui cum ipsis erant, adversus, imperii urbem militare detrectassent. Magnum gaudium Hispani, qui in Italia sunt, et Hetrusci testati sunt de hoc Pontifice. Habet fratris filium Camillum nomine, duos sororum filios; ortus est ab Eugubio,

ſtatura alta, facie ſevera, juris admodum peritus et juſtitiæ vindex. In nummis ſcripſit: Fiat pax in virtute tua. Galli in Italia cum Pr. Thomæ milite ad XX millia esſe dicuntur. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{XIX}}{\text{XXIX}}$ Octobris MDCXLIV.

H. Grotius.

D. Ceriſantes, dum mihi nocere ſtudet, dicens in aula et urbe nullas ad me venisſe litteras, ad ſe autem venisſe certas ex ipſis locis de cæſis Gallasſii copiis, ſibi nocuit, ſidemque deſtruxit. Vidi Comitem Briennium, Secretarium Status, dixit D. Tuillerium ſcribere, credi Danum cum Polono ſe parare ad bellum contra Moſcowitam propter captivitatem Comitis Waldomari. Sed et ipſe de ejus famæ veritate dubitabat, et ego dubito. In Finali tot introducti ſunt milites, ut de obſidione nihil nunc ſperetur amplius. Captæ tamen in propinquo a Gallis arces Carcheria et Calisſanum. Regina Hiſpaniæ non ſine periculo ægrotat: et Card. Mazarino multi exiſtimant manere febrem tenuem et lentam, non ſine veneni ſuſpicione. Comiti Harcurtio data ſunt centum millia ſcutatorum ad iter, et filio ejus promisſa ſuccesſio in dignitatem, quam ipſe habet primi ſcutigeri Regis. Seditio fuit Barcinone non ineventa, quæ Catalanos Galliæ magis magisque ſuſpectos facit. Regina delegatos in hac urbe ad reperiendas pecunias, ſi unquam, nunc cer-

certe necesſarias, excitavit ad properandum hoc negotium. Triginta de Hasſicis equitibus, ab Hochſtra egresſi, capti ſunt a Bavaricis. Romæ Præfectus militiæ factus eſt Camillus Pamphylius, ex fratre Pontificis natus. Galli in Flandria Caſtellum rubrum et arcem Arquiam disjecere, ne aut oneri esſent, aut facile ab hoſtibus reciperentur. Ex Anglia hæc audimus, ex Regis fautoribus: Oppidum Creucolanelium in Lincolnia captum a Regiis, item portum Baltonum: ab iis qui hæc effecere, iri in Northfolquiam et Sudfolquiam, ad confirmandam Nobilitatem, quæ in iſtis partibus pro Rege eſt. Regem esſe Cherburnæ, in limite Dorcetiæ. Pr. Robertum Briſtoliæ, Comitem Esſexium Porthmuthi, Mancheſtrium Readingæ. Parlamentarios omnia agere, ne pax fiat; id inde apparere, quod de abolitione communi excipiunt Principes Robertum et Mauritium, Comites Cottingtonum, Briſtolium, Digbyum, Brandfurtum, Dominos Germanum, ſummæ hunc apud Reginam gratiæ, Heptonum, Glentianum, et Romano-Catholicos omnes, ingens agmen. Ex Portugallia diſcimus, esſe quidem captum Marchionem Montalvanum, ſed in necem Regis et Reginæ conſilia aut falſo evulgata, aut per prudentiam quandam pro falſis haberi.

LXXVII.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Cardinalis habet ſe non quam vellet bene, ſed meliuscule. Regina, et aula omnis, in qua nunc eſt Pr. Condæus et filius ejus Dux Anguianus, per paucos dies hic ſunt futuri: urgetur adhuc Comes Harcurtius, ut in Catalaniam eat magnæ ſane opis egentem, quandoquidem Caſtellam Balagenam cepere, quæ diei unius itinere abeſt a Barcinone, in qua erant milites DC, et, quæ victoribus cesſit, magna frumenti copia: et nunc imminere dicuntur oppido Servieræ, Catalanis plerisque non minus Gallici imperii pertæſis, quam ante Caſtellani fuere. In Germania multum augeſcunt Bavaricæ copiæ. Dicitur Binga Gallicum præſidium, quod tenue erat, expulisſe; et idem futurum fuisſe Maguntiaci, niſi auctum fuisſet ex aliqua ejus rei ſuſpicione præſidium: eo magis miror, famam valide hic ſpargi de Treviris tutelam Galliæ expetentibus. Magalottus Italus, peramicus Card. Mazarino, captis in Lotharingia locis non firmis, Sanitavauxio, Sarbruia, Vaudievangia, addidit ſe copiis illis, quæ ſub Duce Anguiano fuere, nunc autem ſunt ſub Mareſchallo Turenæ. Adduxit equitis mil-

mille ducentos, peditum plus aliquanto. Quidam hoſtium cæſi ad S. Menchaldnm. Gasſio apud Guinoci montem eſt, et ex vicinis Flandriæ locis ad ipſam usque tributa accipit. Roſa et Tubadelius nolunt a militia exire. Elector Maguntiacenſium Viennam iturus creditur. Archi-Epiſcopus Rhemenſis, cum ſuæ Dioeceſeos Synodum habere vellet, permisſum a Regina R. obtinere non potuit. Mareſchallus Turenæ dicitur per ripam Rheni deſcendere Moſellam verſus. Maxima vero pars Bavarici exercitus esſe ad Mosbakum apud Nicrum amnem. Dux Bavarus aliquem de ſuis huc miſit, in ſpeciem deſiderans, ut antehac, ſini medium ſe hoc bello gerere; revera ut ſine ſuo damno tempus extrahat, donec omnes copias contraxerit. Regina Angliæ nunc dicitur huc non ventura. Credo quod Card. Mazarinus, id metuens, disputationes quasdam ſeverit ſuper honoris habendi litibus. Elector Palatinus Londinii in ſermone publice habito multum approbavit causſam Parlamentariorum, quod Regi Britanniæ et hic Reginæ dolet. In domo Sabrani, Reſidentis Galliæ, capta eſt foemina nobilis, ipſius hoſpita, credita cum Hibernis quibusdam, ex eo numero, quos Parlamentarii rebelles vocant, et qui incogniti Londinium venerunt, conſilia participasſe. Sabrani apparitores non permiſerant ſeorſim ei foeminæ loqui, et ipſe ex hac re in ſuſpicionibus eſt apud Parlamentum. Regem autem ipſum Britanniæ audimus nunc esſe Exceſtriæ. Plimuthi autem obſidionem a Regiis dere-

 lic-

lictam. Wallerum et Mancestrium Parlamentarios esse in Wallia, ubi oppida ceperint quædam. Urbem Novi Castelli non ultra obsistere posse Parlamentariis; iisdem Comitem Essexium suspectum fieri. Magna hinc vis pecuniæ Romam ivit, ex qua Gallis nihil aliud, quam contra eorum votum electi Pontificis offensa parta est; quam tamen Pontifex dissimulat. In Arragonia Protonotarius quidam captus est, et ad inquisitionem tractus sub magico crimine. Hic vero puer est educatus inter Pontificios; sed quem magni faciunt Carentoniani. Dicit se (horreo eloqui) raptum fuisse in tertium coelum. Carentonianis autem ideo placet, quod affirmet, et Papam esse Antichristum, et Missam sacrum abominationis. Deus &c. Lutetiæ XXII Octobris MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Duo video dubitari, primum an e Binga ejectum sit præsidium Gallicum, deinde, an Plimuthi obsidio a Regiis in Anglia plane sit derelicta? Card. Mazarinus adhuc infirmis Chalcoti apud hanc urbem sperat se recuperaturum sanitatem. Regina R., si quid huic Cardinali evenisset humanitus, destinabat ei successorem ex Italia Card. Bichium. Wattenæ in Flandria Præfectus est Manicampius, qui Calmariæ Præfectus fuit. Dux Parmensium filiam suam fratris filio Pontificis vult dare, ut eum a Barbarinorum, quos odit, affinitate abstrahat. Nomen ei

ei juveni eſt Camillus Pamphilius. Venit ad Pontificem et a Melite Chriſtophorus Pamphilius, et multi e domo Alteria, quæ affinis eſt Pamphiliorum. Legati, qui ad pacem commendandam mittuntur, ſunt: Card. Antonius ad Imperatorem, in Galliam Spada, in Hiſpaniam Sachettus, is, qui Pontificatum ſperaverat. Quo vero magis valeat ad pacem ſuaſio, Pontifex omnes quos habuit dimiſit milites, niſi qui ad præſidia aut ad cuſtodiam corporis ipſius, quando ita moris eſt, necesſarii putantur. Legati vero et Principes, qui Romæ ſunt, etiam, quos ad ſui tutelam ſumſerant, eos ablegarunt. Leges bonas contra vim et luxum facit Pontifex, antehac juſtitiæ fama inſignis. In Hibernia Eugenius Oncel Parlamenti Anglicani milites quater mille occidisſe dicitur. In Anglia vero D. Goringii, hic legati, filius cepisſe oppida maritima Barniſtasſulam et Uſarcombum. Rex Angliæ cum Pr. Mauritio ire ad Angliæ auſtralia. Legati a Parlamento misſi ſunt ad Esſexium, ſine quorum conſilio nihil agat. Bavaricos Gallos nunc Rhenus diſtinet apud Manhemum.

LXXVIII.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Vidi his diebus Ducem Anguianum, et ei gratulatus sum, ut sane debui, de prælio ad Friburgum, de capto Philippiburgo, Maguntiaco, Spira, Wormatia, Binga, totque locis in solo Palatino, Wirtembergico, Badensi. Dixi, non dubitare me, quin huc venisset, ut exercitum, qui illis est in locis, aut superiorem, aut certe parem faceret Bavarico, qui satis est magnus, et in dies crescere dicitur: Respondit mihi valde prudenter, et non sane pro ea quam habet ætate: pecuniam jam missam ad necessitates exercitus et ad scribendum in illis locis militem. Sperari posse, etiam hinc aliquid mitti militis, forte ad tria millia. Cæterum facile videre se, tantis rebus, hoc anno a Gallia actis, neque defatigatum militem labori, neque ærarium novis dilectibus sufficere. Sperare tamen se bona omnia, quandoquidem quæ apud Bavaros sunt copiæ, si collectim se teneant, graves sint futuræ iis, apud quos erant; si vero se dividant, occasionem sint daturæ aliquam equitatui egregio, qui relictus est apud Mareschallum Turennæ. Quod si Glenius et Lotharingici eo ire velint, instituros eo-

eorum veſtigiis eos, quos ſane non ſpernendo numero ipſe reliquit Sacram inter et Moſellam. Philippiburgi et locis adſitis validas munitiones jusſisſe ſe fieri, et quantæ fieri poterant circa caſtellum illud, quo Maguntiacum defenditur. Non omittam, quæ ipſi dixi dicere etiam Pr. Condæo, ubi huc redierit, nunc nempe abeſt, et præcipue illud rogare, ut controverſia, quæ eſt in Tranſamaſianis locis ex uſu communi componatur, et hic Hasſicæ copiæ bonæ tum pedeſtres tum equeſtres posſint ſe cum Mareſchallo Turennæ jungere; qua de re filius meus Casſellam fuit misſus, et in reditu periculum ab hoſtibus ingens adiit, quod an evaſerit etiam nunc neſcio. Francofurti Proteſtantes bonum ſibi, malum autem Bavaricis omen exiſtimant, quod qui a Bavaro erat legatus contra Proteſtantes, aliqua dicturus, ſubito exſpiraverit. Dicunt autem Bavarici misſum aliquem, monachum forte, a ſuo Duce Lutetiam, paratumque Ducem eundem aliorum etiam ſaluti conſulere, ſi modo mandata habeant cum Gallia paciſcendi; verum multi ex rebus præteritis gnari Bavaricarum artium, eo exiſtimant ſpargi hos rumores, ut Dux Bavarus ab Imperatore plura abſtrahat metu iſto Gallicæ ſocietatis; cæteroque Bavarus non tantum hic valet, quantum valuit antehac. Mareſchallus Turennæ, derelictis cogitationibus de Francothalia claudenda eminus, ad Crucennacum ſe contulit, ad ſervanda Palatinatus loca. Bavarici vero, recepto facile Bacharaco, partem ſuorum habent apud Manhemium,

cu-

cujus munitiones augent extenduntque longius, quo tutiorem habeant Rheni tranſitum, medio loco inter infesſa a Gallis Maguntiacum et Philippiburgum. Major vero eorum pars manet ad Ladenburgum, ſperantque ii ſe viam reperturos, qua ſibi jungant Glenium et Lotharingicos, et XVIII ad minimum millibus Mareſchallum Turennæ aggrediantur, aut, ſi is loco cedat, aut Saram verſus ſe recipiat, quod multi futurum putant, tum ipſi Maguntiacum aliaque loca recuperent. Imperator Lintziam venisſe creditur, ea maxime de cauſa, ut cum Bavaro aut cum Bavaricis ſuper præſenti Germaniæ ſtatu, et ad res ſuas ſervandas, conſilia conferat. Scripſit idem Imperator Electori Maguntiacenſi, ne legatos ſuos, qui Francofurti ſunt, patiatur conſenſum præbere ad disſolvendum, qui in ea urbe eſt, conventum, quem ibi detinere e re ſua esſe Imperator exiſtimat. Audimus autem, Lotharingos esſe inter Moſellam et Luxemburgicum, minoribus acceptis a Beckio, quam ſperaverant, auxiliis. Glenium apud Confluentes. De Reginæ Hiſpaniæ vita aut morte ambigui adhuc ſunt rumores. Irata eſt hæc aula non modice Card. Antonio, quod, multis huc ſcriptis litteris contra Pamphylium, nunc Papam, et acceptis pecuniis, per quas electionem ipſius impediret, arcanis quibusdam pro ſe ac domo ſua pactionibus initis, ad eum eligendum opem contulerit ſuam, unde et legato S. Chaumontio data mandata auferendi a foribus Antonii Galliæ inſignia, ut norint omnes, nihil Galliæ poſthac cum eo

es-

esse commune. Piccolominæus in S. Audomari urbem commeatus intulit. Catalanorum animi magis magisque abalienantur a Gallia. Deus &c. Lutetiæ xxvii Octobris / v Novembris MDCXLIV.

H. Grotius.

Regina Angliæ, hoc ipso die, in hanc urbem intrabit, digno se comitatu. Audimus autem res Regis Angliæ satis bene procedere, retro pulsis ab eo Wallero et Dalberio, et Pr. Mauritio, ab altera parte premente adversarios quinque militum millibus, premi a Regiis Plimuthum, Wimuthum et Limam. Plimuthum missa a Parlamentariis ea quæ erant opus. Præterea in Hibernia Scotos gravem accepisse cladem; neque bene convenire inter Parlamentum Angliæ et Legatos Batavos. Eos qui in Parlamento pro Episcopis sunt, ut est ferme nobilitas, omnibus sectis, crescit autem numerus quotidie, libertatem polliceri, in id ne Puritani prævaleant. Omnem supellectilem Regiam, quæ est in turri Londinensi, etiam ea quæ sunt regni, versa in usus belli. Spiram sperasse Bavaros se in suas partes traducturos per amicos, quos ibi habebant; sed rem successu caruisse. Venisse Ulyssiponem a Brasiliæ portu Sanctorum XII naves: ab India Asiatica Galeonem, et exspectari duas inde alias conspectas ad insulam Terceram. Pr. Thomam cum suo milite esse apud Alexandriam territorii

Me-

Mediolanensis; exspectari ab eo ex his locis mandata de Hybernis.

Vidi Excellentiarum Vestrarum litteras ad conventum Francofurti et ad singulos Principes: laudo ac probo, et apud Reginam R. earum mentionem feci honorificam. Puto eas nec omne effecturas, quo tendunt, nec nihil.

LXXIX.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Est in Luparâ Regina Angliæ cum L. corporis sui custodibus: concedit Regi et Reginæ ubi in Luparam veniunt, aliis omnibus in locis, sacris, publicis, privatis; cedunt ipsi et Rex et Regina Galliæ Regens. Pr. Condæum conveni, gratulatusque ei sum de rebus a filio ejus feliciter et gloriose gestis, laudavi celeritatem in agendo, disciplinam in castris et viis, et amicitiam cultam cum Germaniæ Principibus et civitatibus: rogavi, ut exercitus, qui ibi est, augeatur, habeatque necessaria. Omnia hæc sibi curæ fore promisit. Multum autem potest, non tantum sorte nascendi, sed et ingenio et rerum peritia. XXII Octobris præcipua Gallorum castra erant ad Spiram, Bavaricorum

ad-

adhuc ad Ladenburgum, et in illis locis, in quibus Nicer ſe Rheno miſcet; et hi Manhemium, et illi Philippiburgum ac Caſtellum, quod Maguntiaco imminet, munire ſtrenue pergunt, habentque de Friburgo recuperando ſpes bonas. Litteræ et a Londino et a Colonia retentæ faciunt, ut ſuſpicemur aliqua adverſa evenisſe partibus illis, quibus iſtæ urbes favent. Regina Hiſpaniæ quin mortua ſit non ultra dubitatur: itaque rurſum nobis ſumenda erunt lugubria. Audimus Lotharingicos cum iis, quos addidit Beckius, Rhenum tranſiisſe, ut ſe cum Bavaricis conjungant. A Magalotto autem Longviacum obſideri. Comes Harcurtius an vere ægrotet, an febrem tertianam duplicem ſimulet, ne in Catalaniam abeat, varia ſunt judicia. Interim mittuntur iſthuc decem centuriæ ex prætoriis, Helvetiorum quinque. Non affirmaverim, quod rumores quidam ferunt, Crucenacum a Gallis captum. Dicitur hic Gallia obtulisſe millionem Francicarum librarum Regi Daniæ, ut pacem faciat cum Suedis; ſi ita eſt, Suedis tanto plus offerre deberent, quanto Suedorum res ſunt meliores. Deus &c.

Lutetiæ $\frac{\text{II}}{\text{XII}}$ Novembris MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Ii qui ex Flandria huc veniunt, ajunt exercitum ibi Gallicum valde imminutum, a XX millibus ad IX aut minus; et qui reſtant eorum multos ægrotare, ita ut putent iſta ad Wattam munimenta bre-

brevi hoſtium fore. Tzerinus Comes, qui in itinere ægrotaverat, et mortuus esſe nunciabatur, nunc dicitur venisſe Conſtantinopolim, eodemque rediisſe Sultanum Turcarum ab Adrianopoli, mutato Tartarorum ad Pontum Euxinum Chano. Præfectus urbis Romæ rus ivit, quia obtinere non potuit, ut legatos Regum præcederet. Papa Duci Parmenſi omnia exhibuit animi benevoli teſtimonia. Lambojus in Leodico militem ſcribere dicitur. Lintzium ire Elector Maguntiacenſis, ut cum Imperatore et aliis conſultet. Multos a Papa dimisſos milites conſcribit Neapolitani regni præfectus: ſperat futuros ad ſex millia. Mortua eſt Regina Hiſpaniæ vi Octobris, annum agens quadrageſimum et ſecundum. Mareſchallus Caſtilionæus non ſine periculo ægrotat. Mareſchallus Turennæ cohortes quasdam exhauſtas disſolvit, militesque in alias cohortes pleniores adſcripſit. Regina Angliæ nondum Legatis ad ſe aditum dedit; poſtulat, ſed comiter, ut ſibi reddantur duo milliones, quos matri ſuæ, cujus hæres fuit, Rex Ludovicus XIII commodavit.

LXXXI.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Res hic neque optimæ sunt, neque pessimæ. Regina R. cum Rege, magna sane vultu actuque promittente, bene valent: itidem Regiæ Stirpis Principes. Cardinalis non commode admodum, sed mediocriter se habet, et incipit resumere res, ab aliis, minorem rerum notitiam habentibus, non æque bene tractatas: pecuniæ difficulter reperiuntur, exhaustis ubique populis, potentibus vero facile, pauca dando in paucos, viam reperientibus, per quam se ab oneribus eximant. Itaque exercitus in Flandria, qui ad Wattenam est, de XX millibus ægre IX servat. Commeatus autem Gallis inpediuntur, restitutis per Flandros aggeribus, quos Galli disjecerant, amnibus impeditis. Magalottus Saram inter et Mosellam habere creditur XII hominum millia; eo se referent, qui sub Mareschallo Turennæ Vice-Comite sunt, nisi supplementa ipsis promissa brevi adveniant. Roma excessere Barbarini. Dux autem Parmensis comiter ibidem receptus est. Hispani illorum locorum apud Alexandriam se habent, ut eo propiores sint ad tutandum Finale, cui imminent Galli. Flixium ad

Iberum amnem a Castellanis obsidebatur, cum inde huc venere litteræ. Dicuntur etiam Portugalli cladis aliquid accepisse ad civitatem Roderici; castella vero eis quædam ademta. Dicitur Glenius moliri aliquid contra Hockstram. Rex Angliæ ab Oxonia ivit Bristolium, habet autem in iis locis sex equitum, octo peditum millia. Urbem Novum Castellum impetu cepere Scoti: Regio exercitui imminet Mancestrius. Essexius ad Readingam est. Massius tribunus militum Parlamentarius LX de Pr. Roberti milite interfecisse, aliquanto plures captivos fecisse dicitur. In Hibernia Castellum Duncanonum ad amnem Wexfordum cepere Parlamentarii. Plessiacus Pratinus in locum S. Chaumontii Romam mittitur. Dives Abbatia hic in Gallia, quæ Card. Antonii fuit, ei aufertur, ob res Gallicas male procuratas. Mareschallus Castilionæus rectius valet.

Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{IX}}{\text{XIX}}$ Novembris MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Novæ ab Hispania litteræ dicunt, exustam a Gallis urbem S. Vincentii. Gramontum urbem Catalaniæ a Gallis oppugnari. Venisse Ulyssiponem aliquantum facchari ab insula S. Thomæ derelicta a Batavis. Inter eosdem Batavos et Portugallos bellum manere in Asiatica India, et pulsos Ceilanæ insula Batavos. A Roma: renovatam ibi et a Papa juratam bullam Pii V. contra alienationes bo-

bonorum Ecclesiæ. A Rheno: Hockstram obsideri a Bavaricis; sed ivisse eo a Crucenaco Gallos, ut obsidionem disturbent. Ab Anglia: Parlamentarios ab obsidione Bamburii dejectos; sed pugnatum ad Neuburgum, et novem machinas Regi ereptas. Hibernos in Wallia foede grassari; ideo nemini eorum, qui bello capiatur, vitam concedi; idque constitutum a Parlamento, quod est Londinii. Carbilum in Cumberlandia et obsideri a Scotis, et parari obsidionem arcium Tinmuthi apud Novum Castellum, et Scarbourii in Eboracensi tractu. Pr. Mauritium esse apud Wallingsfortum, ire contra eum eos Parlamentarios, qui Abingtoni fuere. Copiæ quædam Gallorum apud Bononiam congregantur, ut iis qui Wattenæ sunt subveniant. Italus, Ferrius nomine, in Bastiliam conjectus est, ob litteras in Hispaniam scriptas. Card. Antonius culpam male curatæ rei Gallicæ circa electionem Papæ conjicit in S. Chaumontium, qui pecunia usus non fuerit, ut erat jussus.

LXXXII.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ.

Illustrissime et Excellentissime Domine.

Has litteras miseram die eo, quem præferunt, per Coloniam. Sed cum intelligam, interceptas litteras nonnullas, dubitare cogor, an inter eas

fuerint meæ iſtæ, aut ad eas reſponſa. Quare *meas iterum deſcriptas* mitto per Batavos, longiore, ſed ut nunc res ſunt, tutiore itinere: et obnixe rogo, ut ante anni hujus exitum certi aliquid reſponſi habeam, ex eo res meas ordinaturus; quod ſcripſi de impendiis ultra accepta verisſimum eſt, nec id ignorare posſunt, qui hic fuere. Lutetiæ $\frac{IX}{XIX}$ Novembris MDCXLIV.

Excæ. Væ. perpetuum ſervire deſiderans

H. GROTIUS.

LXXXIII.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

ILLUSTRISIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Mareſchallus Gasſio ab aula in Flandriam rediit. Comes Harcurtius iter in Cataloniam diſtulit in menſem Februarium. Sperat autem ſe habiturum ex iis qui ibi ſunt, et quos Catalani addent, et quos ipſe adducet, ad ſexdecim peditum, equitum quinque millia, de quo dubito. Motta in Lotharingia a Magalotto ita operibus et vallo cingitur undique, ut qui exierant milites, redire eo non potuerint. Eruptiones, ab obſesſis factæ, non optime ſuc-

ſuccesſerunt. Barbarinis res male procedunt. Nam et Camillo Pamphylio, facto Cardinali, ſpe exciderunt matrimonii cum Thaddari filia, et, ne ipſi aut Avenione aut Nicaræ cum honore ſint, Gallia acriter intercedit, opera utens Card. Biquii. Quendam, qui in Barbarinos carmina ſcripſerat, et cui ob id minati erant Barbarini, Card. Medicæus in domum ſuam recepit cum honore. Dux Vendocinenſis Florentiæ eſt. Galli milites, qui in Italia fuere, non in Montisferratenſi tantum ditione, ſed partim in Pedemontano et Delphinatu hybernant. Præfectus Mediolani auget oppidorum præſidia, et pecunias quærit, ut valentem exercitum habeat vere proximo. Fama eſt, Barbarinos laborare, ut in Regis Hiſpaniæ ſint tutela, promisſis ei pecuniis et milite. Imperator vero petit a Papa, ut in terris ejus quatuor millia militum ſibi liceat ſcribere. Gallia Camillo offert pinguem Abbatiam cum titulo Protectoris Galliæ; an hæc recepturus ſit, incertum eſt: Multi nempe exiſtimant, omnia acturum Papam, ut Gallos cogat de Italia discedere. In Anglia Parlamentarii obſident Newercam, Cheſtriam et arcem Lacti, et equitem miſere in partes Regni occidentales. Rex cum novas conditiones ad Parlamentarios vellet mittere, nec illi legatos recipere vellent, niſi Rex ipſis titulum daret Parlamenti Angliæ, morem eis gesſit, miſitque ducem Richemontium et Comitem Suthamptonium, unde pacem multi ſperant, quæ certe nunc, niſi maxima cum Regii juris imminutione, fieri nequit. Aliqui exi-

ſtimant, Regem auxilia aliqua externa exſpectare in ver proximum, interim ſperare incrementa discordiarum inter Parlamentarios, quorum nonnulla ſunt ſemina. Nam et de Archi-Epiſcopi damnatione non conſentiunt cum plebis ordine Proceres, et Liturgia Anglicana jam damnata eſt a Synodo, fabricatur nova, miniſtrique conſtituuntur ſine Epiſcopali manuum impoſitione, multis improbantibus. Et Scoti agunt ferocius, ideo quod promisſa ſtipendia non acceperint. Legati Batavi discesſum parant, primum tamen ituri Oxoniam, ut Regi valedicant. Fuit ipſorum opera Parlamentariis parum grata, et jam naves Batavæ venientes a portu, quem Rex tenet, inſpectari nolentes a Parlamentariis, in pugnam et cædes venere. Sabranus, reſidens a Parlamentariis, ut legatus recipi voluit; ſed cum litteras non oſtenderet, rejecta eſt ejus poſtulatio. Regina Angliæ a Regina Galliæ aliquid accepit pecuniæ, quod illico miſit ad maritum. Hæc ſunt quæ nunc habemus in tempore rerum ſterili. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{XXI}}{\text{XXXI}}$ Decembris MDCXLIV.

H. GROTIUS.

Fama hic per urbem et aulam vagatur, Scotum quendam, ex Suedia misſum ad Parlamentarios, qui ſunt Londini, cum mandatis faciendi cum eis foedere ad arcenda et inferenda bella, idque Rege inſcio. Audimus non placere Esſexio e proceribus aliis decre-

cretum, quod urget plebejus ordo, ne quis eorum, qui jus dicendæ ſententiæ in Parlamento habent, ullum habeat imperium militare. Interim et hoc dicitur, Scotos ad pacem flecti, ſive quod ſtipendia non procedant et præda deficiat, ſive quod Hiberni minentur, ſe, præter eos, ſuorum, qui in Scotia ſunt, misſuros X millium in Scotiam et ſex millia in Angliæ ſeptentrionalia. Mombaſonius, hic a Regina reditum uxori ſuæ poſtulans, aſpere rejectus fuit. Tribus in Catalania cohortibus data eſt misſio, quæ in fuga apud Ilerdam primæ fuerant. Neſcio an verum ſit, quod itidem hic dicitur, Sultanum Turcarum legatos Chriſtianorum Principum dedisſe in cuſtodiam, ob cladem quam a Melitenſibus accepit. Bavaricos audimus, accepto nuncio eorum, quæ Mareſchallo Torſtenſonio proſpere contigerant, abiisſe a via Montana, relictis præſidiis Benshemi et Weinshemi. Ajunt Galli cæſos aut fugatos a ſuis in Catalania pedites mille quingentos, equites trecentos. Crucenaci arcem ajunt impeti machinis octo, et præterea cuniculis. Ducem Lotharingum et Glenium esſe apud Confluentes Trevericos.

LXXXIV.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini,

Litteræ a Francofurto ajunt, Imperatorem ire Budweisum. Archiducem Leopoldum Pragam, Joh. Waërtium ad Ambergam esse; non successisse ei conatus contra Suedos, neque vero Bavaris contra Gallos, qui erant in Darmstadiensi agro. Gallos nempe se recepisse ex iis in quibus erant locis trans Moenum, unde ab Hassio auxilium habere possint. Plena sunt castra Bavarica suspicionibus maleficæ Magiæ, ita ut inquisitores eam ob rem eo missi sint. Circuli Franconici conventus habebatur Norimbergæ. Excusat is se apud Imperatorem de CXX quæ vocant subsidiis, ideo quod alendos habeant milites et Bavaricos et Suedicos, in suis finibus. Creditur autem Dux Bavarus dure tractare oppida, quæ subjecta sunt Norimbergæ, et emisse jura creditorum, quibus illa oppida in magnas summas obligata sunt; ut ea oppida, ubi se tueri, aut solvere, uno vocabulo luere non poterunt, addat superiori Palatinatui: faventem sibi habiturus aulam Imperialem, ubi fidem fecerit, se projecisse illa consilia Gallicæ amicitiæ multum Imperatori formidata. Capitulum Maguntiacense suadet Electori suo, ut sibi,

si

ſi posſit, amicitiam Galliæ comparet. At ille oſtendit, præter vetera exempla inpromtu esſe nova non ſervatæ a Gallis fidei Spiræ et Wormatiæ. Venerat huc Card. Valencæus ab Italia, non adito Pontifice, ſed tantum excuſata apud eum per epiſtolam itineris necesſitate. Sciebat Card. Mazarino ſuſpectum esſe hoc iter, quia Valencæus honores ſuos Barbarinis debet, et eis fidus eſt. Et cum ſciret misſos a Regina R. qui eum vetarent huc venire, obliquis itineribus et disſimulato habitu venit prope urbem, ſperans ſe impetraturum, ut a Regina audiretur, Barbarinorum, ut hic opinio eſt, famam purgaturus. Sed red contra ſpem ejus evenit; nam cum in proximis urbi locis diu ſubſtitisſet, jusſus eſt abire, non viſa Regina. Baſtilia, exinanita per Regem Ludovicum ante ipſius exitum ex hac vita, deinde a Regina R., nunc iterum plena eſt captivis. Mileterius, poſt diſputationem cum Synodi Reformatos ſe dicentium delegatis, poſt multas in ipſum jactas excommunicationes, rurſum publice excommunicatus eſt. De Archi-Epiſcopo Cantuarienſi audimus, eum capite plexum, et profesſum ſe mori in iis ſenſibus, quos habuit hactenus Eccleſia publica Anglicana. Duodecim centuriæ de Prætorianis et externæ quædam mittuntur ad opera Wattæ in Flandria tutanda. Qui in Motta ſunt Lotharingiæ non ita premuntur, ut non excurrant ſæpius. Non Papa tantum, ſed et Præfectus Mediolanenſis ſuos misſitat ad Pr. Thomam. Galli vero Romæ movent omnia, ut Legatus Portugallicus tanquam

Regius legatus admittatur. Imperator in Carinthia vicinisque locis magnos dilectus facere dicitur. Ex Hibernia milites mille quingentos audimus venisse in Hispaniam. Ad Regem Angliæ ventura XII millia; in ipsa autem Hibernia qui sunt, Hibernos in bona esse spe de brevi ejiciendis inde Scotis. Qui a Rege Angliæ in Hiberniam cum mandatis mittebantur, captos in mari a Parlamentariis. Urbem et arcem Cardigam in Wallia, venisse in potestatem Parlamentariorum. Approbatum post longas moras a Nobilitate Parlamenti decretum, ne, qui in Parlamento jus habent dicendæ sententiæ, imperia habeant militaria. In Sudhamtonia & Northamtonia multum pugnari, Pr. Robertum ab Abingtono depulsum. A Regiis capta fuisse castella quædam apud Plimuthum; sed per eruptiones Plimuthanorum amissa. Et Papa et Dux Parmensis et alii Principes Italiæ militem legunt. Pecuniæ hic difficulter quæruntur, neque bene convenit aulæ et Parlamento.

Deus &c. $\frac{\text{XXVI Jan.}}{\text{IV Febr.}}$ MDCXLV.

H. GROTIUS.

Audimus præterea maximam partem Bavarorum hybernare in valle Suevica et Wirtembergicis locis. Cæterum eos, qui præsidium habent Aschafnaburgi et vicinis oppidis, ccire, ut Hockstram adversus Gallos tutentur. A Lambojo scribi X millia militum, octo millia a Duce Carolo, qui de suo erogat sexcenta millia Scutatorum, pro quorum restitutione pi-

pignori accepit bona, quæ Principis Spinoi fuere. A Papa omnes Epiſcopos obligari, ut reſideant in locis ſuæ curationis. Regem Galliæ Taurinorum urbem et Carmendiolam reddere Duci Sabaudiæ, acceptis ab ipſo Verruca, Creſcentino et ad Padam locis. Copias Gallicas ex Pedemontano tractu, Hiſpanicas ex Mediolano ire in Catalaniam; unde conjectura eſt, Papa conciliante clam convenisſe Reges Galliæ et Hiſpaniæ de Italiæ rebus, et id confectum per Card. Valencæum, qui futurus ſit Legatus Romæ, ita ut discesſus ejus inſalutato Pontifice, et ejus abitio ab aula nihil niſi fabula fuerint, ad fallendos alios. Tempus iſta explicabit.

Vidi Oden, quam D. Cериſantes inſcripſit D. Cardinali Mazarino. Rident affatim eruditi omnes, et obſervant tria manifeſta peccata contra Proſodiæ leges, qualia ipſe, in pueris, diſcipulis quondam ſuis, ferre non debuit: ego vero dico, non mala esſe, quæ de Horatio ſumſit.

LXXXV.

LXXXV.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugensem.

Illustrissimi et Excellentissimi Domini.

Quæ nuper de Italicis scripsi rebus, vera sunt; nam et commutationes locorum factæ sunt inter Regem Galliæ et Sabaudiæ Ducem; et copias, tum Gallicas, tum Hispanicas ivisse in Cataloniam constat: tum vero Card. Valencæus, qui hinc ejectus credebatur, accepisse ab hac aula deprehenditur XX millia scutatorum pro itinere, et promissum de decem millibus scutatorum annuis, præter spem legationis, A Francofurto vero, quæ discimus, hæc sunt: Venisse Gallicum Maguntiaci Præfectum, ut Urselam oppuguaret tribus machinis; sed defuisse ei illico pulverem bellicum et globos, neque potuisse haberi a Francofurto. Post triduum, cum abire jam pararet ab hostium illis, qui ex propinquis egressi erant præsidiis: ex peditatu multos occisos aut captos, disjectum equitatum, machinas captas. Ex eo alias, easque Bavaricas copias ad illa apud Francofurtum loca venisse. A Duce autem Bavaro quintum quemque subditorum militiæ adscribi, præter Italos, quos per Gillonem Hasium accepit. Archiducem Leopoldum fore summum ducem copiarum Cæsarianarum et Bohemiæ Præfectum. Gallasio crimina intendi,

di, ſperarique a Cæſarianis, qui de ejus exercitu disjecti fuere, eos in hyberna Hatsfeldica ſemet recollecturos. Metui, ne Mar. Torſtenſonius in ſuperiorem Palatinatum invadat. Famâ ejus ſucceſſuum perterritas copias in Hungaria Auſtriacas, et animos additos Rakcczio; Landgravii Friderici, qui Dresdæ captivus tenetur, libertatem brevi ſperari. Hæc ſunt, quæ dicuntur illis in locis. At a Madritio nunciatur, non potuiſſe Marchionem Tarracuſæ per viam Badajaxi intrare in Portugalliam: ſermones ibi eſſe de matrimonio Regis Poloniæ cum filia majore Archiducisſæ Auſtriacæ: ſed alios, aut hanc, aut ejus ſororem deſtinare Regi Hiſpaniæ: quosdam majorem Regi Hiſpaniæ, minorem ejus filio et utramque advocandam in Hiſpaniam, ut de eis fiat quod expediet; ſed optare Imperatorem, ut filius Regis Hiſpaniæ ſuam ducat filiam. Ducem Medinæ de Turribus eſſe Valentiæ, optantique ipſi, ut Romam mittatur Legatus, alios ſe opponere. A Mediolano iviſſe Monachum, qui Provincialium querelas contra Præfectum Marchionem Veladam deferat in Hiſpaniam. Succesſores Veladæ alios ab aliis deſtinari; ut Leganeſium, Cantelmum, Admirantem Caſtellæ. Aliunde audimus Gallos a Montemagno Montisferratenſium ditionis repulſos; miſſam e Gallia pecuniam ad Rakoczium; Turcæ conſilia contra Melitam ferri. Wendelam in Lotharingia a Gallis occupatam: a Duce Carolo pecuniam dari mutuam Regi Hiſpaniæ; a Rege vero Hiſpaniæ pecunias novas offerri circulo inferiori ad Rhenum, ut ejus opera uti poſſit, ubi tulerit occaſio. Et

qui-

quidem XVI millia thalerorum Imperialium ad conſcribenda ſex militum millia. Hiberni milites, Galliæ militaturi, Machloviam in Aremorica Britannia advenere. Harcurtius brevi hinc abibit in Catalaniam, et Dux Longovillanus Monaſterium, ut quidem in aula rumor eſt. Rupella multum damni fecit per graves hujus temporis procellas, tum in navibus, tum in Salinis. Card. Lugdunenſis a Roma in Galliam venit. De Anglia ſolent hic varia tradi et credi. Fama receptior eſt, parari in Hybernia XII millia, Regi militatura: Arcem Chirkiam captam a Parlamentariis; in Hamtonia apud Chriskircham Parlamentarios male habitos a Regiis; ſed mox Regios per Middeltonum depulſos. Totum ordinem inſidiarum, quas Regii in Duberniam ſtruxerant, detectum. Chardum, locum in Crohehornio, derelictum ab Hoptone Regio Duce. Legatos a Rege ad pacis negotium esſe Richemontium, Suthamtonium, Dorsetum, Edwardum, Hidam. In Cornubia impediri dilectus Regios; in Schropschira vero etiam Nobilitatem expelli. Wallerum ire in partes Occidentales cum ſexies ſex mille partim peditibus, partim equitibus, et exſpectari ab eo Draconarios centum. Comitatum Susſexiæ ad ſui tutelam conſcripſisſe bis mille pedites, equites ter mille. Farfaxio adesſe plus viginti hominum millibus; contra præcipuum Regis exercitum ire Middeltonium et Holbornam. Deus &c. Lutetiæ $\frac{\text{I}}{\text{XI}}$ Febr. MDCXLV.

H. Grotius.

Tu-

Turcæ iterum navibus longis Italiæ oram advecti, exſcenſum fecere in Calabria apud Rupem Imperialem, Petropaulum et Scylacæum. Tartari vero incurſarunt Campeſtria Walachiæ proxima, et minari dicuntur Poloniæ. Papa quendam in Hyberniam mittit Miniſtri Apoſtolici nomine. Mareſchallus Turenius ad Fleishemium eſt. In Pictonum urbe et terris bis terra movit, multaque ædificia disjecit. Hiſpani in Caſtellis ad Mardicum tria millia militum poſuere, et fosſam, quæ ibi eſt, tutantur, ſtructis militum receptibus.

LXXXVI.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Quæ Francofurto veniunt litteræ nunciant adhuc magnam Cæſarianorum et Bavaricorum conſternationem ex prælio ad Thaborem. A Ratisbona Imperatorem et Auguſtam ivisſe Viennam. Sed parum tuta credi itinera. Mareſchalli Torſtenſonii exercitu in duo agmina diviſo, quorum alterum Crenitzium et Danubium verſus eat; alterum in Moraviam penetret, Racoczii appropinquationem exſpectans. Ægre per Gallasſium ad Pelsnam recolligi equitatum; peditatus vix duo millia ſuperesſe, in his

his ægrotos multos, eos ſe tenere labore. Johannem Waërtium cladis nuncium venisſe ad Bavarum; ſed relictis apud Gallasſium cohortibus quatuor. Merciacum ad Hallam manere; Nobilitatem et novos ex Auſtria milites coire apud Boudoweiſium ad res Cæſarianas reparandas. Sed veterem Imperatoris militem ipſi Auſtriæ valde esſe gravem. Mareſchallum Turennæ ponte ad Spiram facto, et equis emtis Casſellæ, copiarum aliquid ad Brettam colligere. Monachum a Bavaro ad res in arcano gerendas misſum Lutetiam. Legatos ab Electore Maguntiacenſi ivisſe Monaſterium, in itinere collocuturos cum Brandenburgicis. Card. Mazarinus Romæ obtinere non potuit, ut frater ſuus Cardinalis fieret. His diebus diu admodum collocutus eſt cum Card. Valencæo, magna cum amicitiæ teſtatione. Beaupuyus nondum huc venit navibus longis, uti dicebatur; ſed cuſtoditur in arce Archangeli, multum pro libertate ejus laborante Cardinali Medicæo, qui eum in tutelam ſuam receperat. Regina Regens minata eſt Parlamento, ſe in hoc inſtituturam Regem, filium ſuum, ut ulciſcatur injurias factas Regiæ poteſtati. Barillonius, cujus præcipuum crimen eſt, quod contra Card. Mazarinum conſilia Reginæ R. dederit, non ibit Pinerolum; ſed manebit Lugduni, et ſecum ibi habebit conjugem ſuam. In Catalania Fabertus cum militibus aliquot Gallis in hoſtium venit manus; dicitur ibi bellum fore acre, et habere comitem Harcurtium ad XXIV millia. Non minores copias habiturum ſe ſperat Dux Aureli-

lianenſis, qui nunc ivit ad aquas Borbonias, inde iturus in Flandriam, ubi Piccolominæus, ad veterem militem additis X novis millibus, obſidionem Wattæ minatur. Lamboyus et Dux Carolus manſurine ſint in Belgicis partibus, an rebus Imperatoris laborantibus ſubſidio ituri, fama dubitat. Exſpectatur hic Legatus a Polonia, qui Regi ſuo uxorem accipit Mariam Mantuanam. Putantur Mareſchalli Franciæ futuri Magalottius Italus, qui Mottam Lotharingiæ obſidet, Ranzovius, Plasſæus, Pralinus, Arpajonius. Rex Hiſpaniæ dicitur apud Cæſarauguſtam esſe cum duodecim peditum, ſex equitum millibus. Cœptum a Gallis Roſarum obſidium ad Mottam obliquis fosſionibus acceditur. Sex Fregattis Dunquercam advenere trecentæ argenti ciſtæ. Bavarus Uberlingæ, Conſtantiæ, Brigantiæ, Landavii commeatuum congeriem facit. Sultanus Turcarum habere dicitur naves longas LXX; centum alias: Sudam Cretæ portum a Venetis petit. Veneti non tantum quatuor millia militum conſcribunt in terris Papalibus; ſed et per alia Italiæ loca millia decem. Gasſio, ponte Aventino capto, excurrit, et vaſtat inſulis proxima. In Hibernia conjuratio arcana Proteſtantium contra Romanenſes detecta evanuit. In Anglia, cum Weymuthum in manus venit Parlamentariorum, ſimul in manus venere arma multa, quæ Regina Angliæ ex Gallia illuc transmiſerat. Langus, dux Regius, a Wallero cæſus dicitur: contra Brewertonum, itidem Regium ducem, ire bis mille pedites Scoti, alæ tres equitum;

alia pars Lancaſtriam petere, Meldruno Parlamentario obſidente Scarburiam. Parlamentarii minoris ſubſellii volunt liberos Regios, qui apud ipſos ſunt, dari educandos Comiti Northumberlandiæ et uxori ejus. Omnes præpoſiti militares, qui in exercitu Farfaxii aliquod imperium ſunt habituri, nominati ſunt ab ipſo Parlamento. In Hybernia Romanenſes ab obſidione Caſtelli Duncani depulſi ſunt. Hæc ſunt quæ hic intelligimus. Deus omnia hæc in bonum vertar, idemque &c. Lutetiæ $\frac{\text{xxx Martii}}{\text{viii Aprilis}}$

H. GROTIUS.

Dux Bavarus inter alia Staubingam munit. Geisſius arcem Ameneburgam obſidet. Et Siciliæ et Calabriæ ora tum a Gallis, tum a Turcis infeſtatur. Rex Poloniæ Venetis auxilia offert contra Turcas. Rex Angliæ ſperat ſe brevi habiturum in duobus exercitibus XX millia mllitum.

LXXXVII.

LXXXVII.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Edictum Reginæ noſtræ, quod latine verteram, ab aliis verſum eſt Gallice, non admodum bene; neque meo juſſu latinum etiam in Italiam miſſum eſt; et video, rationes ibi expoſitas probari talium peritis; quod de indictione belli, etiam mea, quæ non tanti eſt, auctoritate a Danis adfertur, facile ſolvitur: hybernorum captionem in locis imperii hoſtilis, et qui hoſtibus tributa pendat, nihil aliud eſſe, quam conſequentiam belli pridem ſuſcepti; uti eo more bellantes omnes, uſum Daniæ Regem, uſos Gallos, ita ut nec Benfeldii amico ſolo pepercerint. Regem vero Daniæ, cum id, quod belli jure factum erat, ultum ivit, ſatis, Daniæ viribus naves hoſtiliter capiendo, milites oppugnando, novum ſic inchoaſſe bellum, non Germanicum amplius, ſed Danicum: quare ipſius fuiſſe, id nobis indicere. Explicationem juris noſtri fuſiorem ex privatorum, alicubi forte errantium, ſcriptis moliri nolui, exſpectans ea, quæ poſt Edictum in Suediâ facta, nunc in alias linguas, ut audio, vertitur: dabo operam, ut et ea externis innoteſcant. Qui Galliam regunt, hucusque pacem nolle in aperto eſt

inde, quod et profiteantur, et in id se obligaverint, ne quid bello captum reddant; veruntamen talia posſint in regno interna mala exſiſtere, quæ Card. Mazarinum ad alia consilia, et quidem ſubito, verterent. A Francofurto diſcimus, Electorem Maguntiacenſem ſuos mittere Monaſterium; dici ibi Gallos quædam incuſare in inſtrumento poteſtatis datæ Legatis Cæſarianis. Tam hoc ipſos Cæſarianos, quam Bavaros plane id agere, ne componatur, quæ exarſit inter Suedos et Danos, controverſia. Scriptum etiam ad Electorem Brandenburgicum, ne in id laboret. Hatsfeldii in Lotharingia copiis adjungere ſe Brogum et Cæſarianos alios; ſed, præter Coningsmarchium, ab Hasſia Geiſium ſe iis opponere. Milites ex Hagenavia ad portas Wormatiæ excurſus fecisſe. Traumensdorfium aula exſulem ire in Stiriam. Viennæ ſperari cum Rakoczio pacem; addi etiam, Rakoczii Legatos qui ibi fuere, queſtos de Suedis, quod armorum vim potisſimam, non in Auſtriam et Bohemiam, ut illi ſperabant, ſed in Daniam verterint. A Vienna Dano promitti auxilia, non mitti; niſi prius ſe ipſe Cæſarinæ causſæ illigaverit. Ex Anglia diſcimus, Reginam contra malos rumores bene valere: abiisſe Oxoniâ Briſtoliam, menſe uno a partu remotam. In animo ei fuisſe liberos, qui Oxoniæ ſunt, ſecum ducere; ſed intercesſisſe eos proceres, qui Oxoniæ ſunt. Comitem Novi Caſtelli ex clade ultima recepisſe ſe Eboracum. Eam urbem a Scotis circumveniri eminus; ipſas illius Comitis reliquias de exercitu junctu-

turas se cum Pr. Roberto. Ordinem plebejum ejus Parlamenti, quod habetur Westmonasterii apud Londinium, suscepisse suspicionem quandam contra Comitem Essexiæ, tanquam causſæ populari minus fidum; itaque artibus clancularii id eos agere, ut copiæ ejus decrescant, crescant autem eæ, quibus imperat Wallerus. Neque hoc tantum eos agere; sed et ut, more apud Scotos recepto, non duæ sint ut in Anglia classes Parlamenti, sed una, in qua proceres civitatum sententiis vincuntur. [Archi-Episcopo Cantuariensi nova objectantur crimina, quod scribi sibi passus sit Sanctitati tuæ, Angelum se vocari et Pontificem, a Puritanis, hominibus antiquitatis ignaris. Nam Sanctitatis titulus Episcopis omnibus datur a Basilio, Eusebio Samosatensi, Hieronymo, Augustino, immo et Concilio Orientis Ephesi habito, a Concilio universali Ephesino, et a Chalcedonensi: quin et ab Imperatoribus Constantino, Theodosio Secundo, Martiano et Justiniano: sic et Angelorum nomine in Apocalypsi Johannes eos designat Episcopos, quos ipse in Asia instituerat: nimirum quod, sicut olim Angeli, mandata Dei ad populum deferant; preces autem populi ad Deum. Pontificum vero nomen ex Paganismo deductum ad rem Christianam, datum Episcopis: non ab Episcopis tantum aliis, sed etiam a Romanis, ut Zosimo, Cœlestino, Hilario, Felice, Hormisda, Vigilio, et a Conciliis multis: quæ obiter tantum dico, ut appareat, quantus sit hominum talia criminantium fervor. Venio ad Gallica. Magnis animis agitur lis illa inter Ducem Anguianum et Es-

guilloniam. At Regina ex Cardinalis consilio Advocatis Ducis Anguiani interdixit, ne quid contra Esguilloniam dicerent, nisi quod ad caussam pertineret. Illi vero ea, quæ vel maxime Esguilloniam infamant, maxime ad caussam suam pertinere existimant. Mareschallus Turenæ cepit arcem et oppidum Fauconnojam, milites autem suos partim ibi disposuit, partim in Lotharingiæ locis. Scripsit ad Reginam de sua in ipsam fide. Idem fecit Espernonius. Fides habetur eorum litteris, quanta litteris haberi solet. Interim Rex omnia ad Sedanum munimenta sua fecit. Dux Aurelianensis ob articulorum dolorem hic adhuc manet; copiæ ejus dicuntur fore majores; at creduntur non superaturæ XXV millia; Anguiani ad IX millia, Gassionis ad IV, Villaregii ad tria millia. Plesfæus Besansonius ivit iterum ad Ducem Carolum, modica spe transigendi negotii; tantum distant ipsius Ducis petita ab iis quæ Galli volunt concedere. Piccolominæus jam ex Gallia in Flandriam advenit nullo damno facto. Marchio Villæ est Romæ, ut Gallos, qui Pontifici militarunt, ad Pr. Thomam abducat. Ethruscus suos dat Hispano. Pax in Hibernia est. Delectus Gallici, apud Leodicum facti, nondum huc venere. Interdicta est Parlamento per Reginam cognitio inter Sorbonam et Jesuitas. Romæ dicuntur judicia esse satis æqua super istis controversiis. Deus &c.

$\frac{IV}{XIV}$ Maji.

H. GROTIUS.

Ru-

Rumor hic eſt, decem millibus militum auctum eſſe Mottam Odincurtium, et parare ſe ad obſidium Tarraconem. Naves Gallicæ jam a Maſſilia et aliis locis in Cataloniam profectæ ſunt. Dux Bulionius Romam iviſſe dicitur. Veneti adhuc militem omnem retinent. Helvetii, qui militant ſub Mareſchallo Turenæ, contra Imperium uſum ſui nolunt policeri. Comitiſſa Boſſuvia, cum in Galliam veniſſet ad jus ſuum conjugii proſequendum contra Ducem Guiſium, Rothomagi capta, et in navem impoſita eſt, ut, unde venit, redeat. Cauſſa ipſa de matrimonio Romæ tractatur. Papa Reginæ R. ſcripſit, eam monens, ne ſe de religione controverſiis miſceat; ſed rem permittat Epiſcopis. Audimus Cairi ſeditionem militarem fuiſſe; ſed illico exſtinctam, et Thraciæ Præfecto abſciſſum caput ob concuſſiones. Centum et triginta captivi a Cæſarea Mauritaniæ ſive Algerio huc venere, redemti a Religioſis, qui talibus officiis laudandis ſane ſemet addixerunt. Præfectus Mediolani etiam Caſtellum Sanetiæ poſt alia multa munitionibus nudavit, ut iis, qui in præſidio fuerunt, uti poſſet, quod militum iis in locis penuriam teſtatur. Leridæ detecta et punita contra Gallos excitata factio. Ex Anglia audimus, premi a Regiis Plimuthum et Limam. In Scotia Comes Arguilius, Marchiones Huntlejus, Montroeſius, Niddidalius factionem pro Rege ſuſcitant. Rex Angliæ externis omnibus, ſuas partes amplectentibus, concedit mercatum pannorum pari immunitate, qua ſubditi ipſius fruuntur. Parlamentum

Oxoniæ eos, qui Londini pro Parlamento ſe gerunt, declarant Majeſtatis crimine ſontes, ob vocatos in Angliam Scotos, factum ſigillum Regio ſimile, æquas ad pacem leges repudiatas. Accepi Illuſt. et Excell. D. Legati Baronis litteras, datas XVIII Aprilis, pro quibus et pro chartis eas comitantibus ſummas ago gratias. Pro certo habeo, Venetos omnia facturos magis pro Gallis, quam pro Suedis, quod cum illis multa negotia habeant, cum his nulla; ſique via ſe ad pacem cum Imperatore monſtret, posſet forte obtineri, ut is promittat, auxilia ſe Dano non misſurum, dum et Suedia promittat ſe non misſuram Portugallo.

LXXXVIII.

JOHANNI OXENSTIERNÆ.

Accepi litteras Reginæ Dominæ noſtræ, datas x Junii. Petii aditum ad Reginam Regentem Regni hujus: ibi, poſtquam officio doloris et conſolationis functus fuero, alterum illud de fœderibus negotium tractabo apud eos, quibus res iſtæ nunc ſunt creditæ. Nam Chavigniacus, ab eo quod habuit munere demotus, ſecuritatem ſibi quæſivit in legatione. Ad Theodonis villam obſidio jam ad fosſam oppidi pervenit, nec quicquam deeſt eorum, quæ ſunt necesſaria. Quid agat in Hiſpania Motta Odincurtius, quid in Italia Princeps Thomas, cognoſcere brevi dabitur. Guebrianus cum ſuis apud Hohentwilam eſt, Bavarici trans Danubium Ulmam ver-

versus. Dux Limurcensis Francothaliæ bene acceptus fuit, crediturque ejus restitutio pro re certa. Legati hinc ad pacem ituri exspectant, donec Hispani, præter eum qui præcessit cæteros, de quo scripsi, hac transeant, non quidem, quantum audio, Lutetiæ transituri, ne ea res Batavos offendat; sed non ita longe ab aula absfuturi, ut non ad eos admitti possent, qui res præparent. Ego vero ea de re non multum sollicitus sum; nam etiamsi omnia, quæ ab Hispanis cepere, largiri velint, nihil largientur de nostro. Francofurtensis conventus ad breve tempus discessurus videtur, deinde eodem rediturus. Volunt Principes ad loca conventus de pace quatuor de suis mittere, et augere numerum, si opus sit, qui ad conventum ea quæ aguntur nuncient, et inde, si opus sit, responsa accipiant. Qui contra Papam se junxere, id est Ethruscus, Veneti, Parmensis, Mutinensis, iter sibi parant Ferrariam versus, et loca ceperunt eo ducentia; præterea etiam in ditionem Urbinensem tendunt. Contra in Mutinensem arma inferunt Papæ Duces. Discimus etiam, a Venetis occupatum portum Cesenaticum, ab Etruscis Martinellam in ora maritima, diei itinere a Roma. Contra a Ferrariensibus portum Valonæ, et quædam prælia ab iis bene pugnata. Rex Hispaniæ, interpellatus de mittendis auxiliis ex feudorum lege, cum hoc ei tempora vix permittant, ad pacem laborat. Rex Mæ. Britanniæ edictum edidit, quo vetat eos, qui Parlamentum se vocant, pro Parlamento agnosci,

graviter querens perniciem ſibi et conjugi Reginæ intentatam, hanc et proditionis damnatam, quod marito fida fuerit; inſidias ſtructas ad intercipiendum filium ſuum, multaque alia. Laborat nunc et Rex, ut motus Hiberniæ componat, uſurus deinde Hibernorum ope. In Parlamento perpetua ſunt disſidia inter clasſem procerum ac plebis. Et cum plebejus ordo Scotos in auxilium advocare vellet, intercesſerunt proceres. De Epiſcopo Bellovacenſi, qui apud Reginam Regentem plurimum poteſt, et a Regina erat commendatus ad adipiſcendum honorem Cardinalitium, reſpondit Papa, ſe, ſi ſponte ſua ex Gallis Epiſcopis aliquem eligere debuisſet, non alii potius id honoris fuisſe collaturum, quod et eruditionem ipſius nosſet, et virtutes, et reverentiam erga ſedem Romanam: itaque ſe prima occaſione memorem ſore petitionis a Regina factæ. Card. Mazarinus, qui, ſi id eveniat, potiorem illum prævidet fore auctoritate et gratia, forte et loco, quia Bellovacenſis et Epiſcopus eſt, et Par Galliæ, creditur parare ſe, ut eat Romam, et eo miſisſe magnam vim pecuniæ, comparatam ex opulentisſimis beneficiis et largitionibus Regni. Princeps Condæus de ſua pecunia non parum miſit ad filium ſuum. Dux autem Engolismenſis modicum exercitum ſecum habet, ut impediat hoſtem, ne quem locum Galliæ aggrediatur. Princeps autem Arauſionenſis, etſi non multum proficiat, valde tamen utilis eſt Gallis, quia Melonem et magnas copias retinet, ne in Galliam veniant. Parlamentum

tum Parisiense non tantum rescidit, quæ contra Elbavium Ducem acta erant, et ipsum absolvit; sed et jus ei servavit ad consequendam indemnitatem suam, ubi id fieri debere judicaret, id est, adversus Card. Riceliaci hæredes. Cancellarius Franciæ a suo munere, quanquam sæpe monitus, discedere non vult, neque magis Breræus a maritimo Imperio, neque Esguillonia a possessione Portus gratiæ. Cum Duce Bulionio agitur de compensatioue ei danda pro Sedano. Edicta tributaria multa revocantur, et creditur aliquis in Angliam ad pacem procurandam inter Regem Angliæ et Parlamentarios iturus. Edictum pro iis, qui reformatæ sunt Religionis adhuc pendet sub Parlamento, quæ prolatio suo periculo non caret. Coningsmarchii res dicuntur bene procedere. Hæc postquam scripseram, aditus mihi ad Reginam datus est; respondit de suo adversus Reginam nostram affectu verbis humanissimis; de foederibus nihil, quanquam ego id attigeram. Deus &c.

Accessi Comitem Briennium, qui nunc Comitis Chavigniaci partes implet; dicit jam scriptas litteras ad Reginam nostram, quæ asseverent fore ut serventur foedera, quippe quibus non Reges tantum, sed et Regna obligentur. Id si recte se habet, gaudebo; sin minus, laborabo, ut, si quid corrigendum aut addendum sit, corrigatur aut addatur. Iisdem litteris dicit, scriptum de Portugalliæ Legato admittendo ad pacis colloquia. Romæ

mæ et per omne Imperium ſuum Pontifex argentea vaſa privatorum ad ſe ferri jusſit, ut nummi inde cudantur. Caſtellum Galvaſii in Hibernia diutius a Proteſtantibus contra Pontificios defendi non poterit. Deſiderant, qui hic rebus præſunt, ut ſcribatur poſthac Serenisſimæ ac Potentisſimæ Reginæ Regenti Franciæ.

LXXXIX.

D. JOHANNI OXENSTIERNÆ ET D. JOHANNI ADLERO SALVIO, Legatis Suedicis ad Pacificationem Osnabrugenſem.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DOMINI.

Conſtitutum eſt in conventu Francoſurti, ut is conventus transferatur ad alia loca, in quibus de pace agitur, anniſo ad hoc maxime Bavaro. Sed exſpectatur approbatio Imperatoris, qui huc pertractus magis ab aliis, quam ſua ſponte veniet. Culpa ibi infelicis prælii in Bavarum conjicitur: metu nempe ne is copias ſuas revocaret, præcipitatam fuisſe rem in pugnæ periculum. Creditur autem Torſtenſonius non tranſiturus Danubium, priusquam et Pr. Rakoczius propius accesſerit, et abunde adſit, unde equi aluntur. Cæſariani Viennæ proſpexerunt de milite et commeatibus, ſperant ſe recollecturos equitatum ad XIV millia; pedites autem ex Stiria ven-

venturos quater mille, ex Auſtria ſuperiore ter mille. Ex Turcico imperio Legatum illuſtrem exſpectant, qui pacem firmet; et conditiones ad Pr. Rakoczium mittunt ferme tales, quales ipſe antehac propoſuerat. Hungarorum animos ſibi reconciliant, ut Suedis prohibeatur Danubii tranſitus et conſcriptio militum in locis illis. Leopoldus Lintzii eſt, et res ad Onaſum ordinat. Galli ſub Mareſchallo Turennæ ad X millia Rhenum quidem ad Spiram tranſiere; ſed apud Canſtadium Bavari ſatis virium habere ſe putant, ad inhibendos eorum progresſus. Electori Maguntiacenſi penſiones Hiſpanicæ adhuc procedunt per Numeratorem, qui Viennæ eſt. Agit cum Hasſicis, ut Amenoburgum et alia quædam extra belli injúrias ponantur. Ad obſidendas Roſas naves Gallicæ partim venerunt, partim Masſilia ſolverunt, ut illuc eant: defendit locum Didacus Cavallerus, idem, qui Perpinianum antehac. Harcurtius in Catalania exercitum decem auxit millibus. Qui in Motta ſunt Lotharingiæ, infelici eruptione ducentos ſuorum amiſere. Contra Ducem Carolum it Marſinus cum bonis cohortibus. Manet tamen fama de Ducis Caroli conſilio in Angliam transeundi, ut Regi Angliæ militet. In Flandria inſtauratur equitatus; novi conſcribuntur equités ducenti, pedites mille. Mortuus eſt Bucquajus. Qui vitæ Piccolominæi inſidias ſtruxisſe dicuntur Hiſpani, ſunt milites quatuor. Lambojus apúd Ipras eſt, ubi et aliæ coëunt Hiſpanorum copiæ. Dux

Au-

Aurelianenſis, ab aquis Borboniis rediturus, huc putatur affecto menſe Majo. Duo hic ex Polonia exſpectantur legati, Sapieha et Linches, ad conficiendum cum Mantuana virgine matrimonium. Regi autem Poloniæ Papa ſpem facit dandi Cardinalatus Vice-Comiti, quem Rex Poloniæ commendavit. Conſtantinopoli Sultana quartum marem peperisſe dicitur. Trevilla, qui in Baſtiliam nuper conjectus fuerat ob verba liberiora, inde exiit. Impoſitum viro augmentum oneris ad ſolulos XL. Interim per antecesſum pecuniæ ſumuntur de futuris obventionibus anni MDCXLV et XLVI. Qui in Parlamento ſunt Pariſienſi, multum gratiæ apud populum amiſere, quod indictioni in divites ſemel voluerunt eximere. A Luxemburgicis militibus cæſi Gallorum quidam. Imperatorem fama eſt, cum Praga exiit, ſecum ſumſisſe coronam Regni; pecuniæ autem non amplius ducatis centies mille. De Bavaris ſunt qui addunt, derelictam ab eis arcis Nagoldiæ obſidionem; tum vero oppida Pfortshemum et Brettam, eisque præſidia impoſita a Mareſchallo Turennæ, præcipua caſtra habente ad Wiſelochum. Ex Anglia docemur, bis mille Piſtolettas, arma alia, et pecuniam misſa Londinio ad exercitum Scoticum. In Wallia ſeptem esſe Parlamentariorum militum millia, accitumque, ut eas copias augeat, tribunum Masſejum. A Farfaxio misſos mille et ducentos, qui Regios impediant, ne ſubveniant Ponti fracto. Eſt et rumor, eos qui Newarco exierant, ad equites mille quingentos, pedites mille, cepisſe oppida Gransha-

mum

mum et Dardiam. Deus &c. Illuſtrisſimi et Excellentisſimi Domini, Excellentiis Veſtris det omnia proſpera. Lutetiæ $\frac{\text{v}}{\text{xv}}$ Aprilis MDCXLV.

Excell. V. perpetuum inſervire paratisſimus

H. Grotius

X C.

AXELIO OXENSTIERNÆ.

Beneficiis ſummis Excellentiæ Veſtræ in me et hoc accesſit, quod, adjutus ejus diplomate, feliciter Stockholmiam perveni, ubi litteras reperii conjugis meæ, datas xx Maji Novi Calendarii, quæ inter res alias nuntiant, Ill. D. Baronem Ericum Oxenſtiernam et bene valere, et a Principibus benignisſime exceptum. Sed cum et hæc et alia Excellentia veſtra, litteris citius iſtuc perlatis, cognoverit, nil ferme eſt quod addam, niſi D. Ormium de Granges ire, ut augeat numerum illorum ſane multorum, qui D. Legatis Gallicis conſilio et opera ad pacem aut promovendam aut disturbandam adſunt. Deus, Illuſtrisſime ac Excellentisſime Domine, det, ut Excellentiam Veſtram, publicis negotiis bene confectis, brevi hic ſoſpitem videam. Stockholmiæ xxv Julii MDCXLV.

Excellentiæ Veſtræ

devotisſimus cultor

H. Grotius.

XCI.

JOHANNI OXENSTIERNÆ.

Illuſtrisſime Domine! Aula hæc mutationes partim peperit, partim parturit. Comes Chavigniacus, patris ſui Butilleri fortunam ſequutus, maluit abdicare a ſe honorem, quam inde ejici. Suffectus eſt ei in manus Secretarii ad res externas Comes Briennius, gente Lominiacus, dictus antehac ex posſesſione Villaudercius, qui et antehac Secretarius fuit unus ex quatuor, ſed ad res internas. Is autem per amicos communes certum me esſe voluit, ſe non minus quam alios antehac aut plus etiam facturum pro foederatis; non fruſtra id fecit, quia vulgo creditur Monachis addictior. Caſtillionæus, qui, antequam Cardinali Riceliaco in carcerem daretur, cuſtos Sigillorum hic fuit, nunc, contra primum illud decretum, Reginæ Regentis permisſu ad urbem venit, ſeque Cancellarium credi vult, ideo quod ea dignitas ei olim Regio ſcripto promisſa, cum Aliguius Cancellarius adhuc viveret; ſed relegatus. Regina Regens novum Sigillum ſub novi Regis nomine adhuc retinet, nec cui datura ſit, dicit. Chevreuſia, fœmina illecebroſa, bene a Regina recepta eſt; ſane ad distinguendas joco res ſerias, ubi prægravant, valde apta eſt; ſed ſunt qui metuunt, ne Hiſpanicorum beneficiorum nimium ſit aut memor aut avida. Espernonius urbem hanc habet pro carcere, donec cauſa ejus de integro cognoſcatur. Qui Le-

gati ſint ituri ad pacem, adhuc ignoratur. Davauſius vulgat, eo iturum Ducem Longovillanum, et ſe, tertium forte fore Servianum: alii Chavigniacum aut eo, aut Romam deſtinant. Dux Anguianus videtur obſesſurus Theodonis villam, quamquam introducto ab hoſte novo milite. Et multi putant eodem iturum et Guebrianum, ſpreto Ranzovii conſilio, qui in Bavariam potius mittendum cenſuerat. Engolismenſis Dux interim Gallicum contra Belgas limitem defendet. Dicitur Motta Odincurtius irrupisſe in Arragoniam; Portugalli vero in Caſtiliam veterem, quieſci in regione Pedemontana. Veneti autem et Ethruſci irrupisſe in territorium Pontificis Ferrarienſe. Non dubium eſt, quin, ſi id verum ſit, Pontifex venturus ſit ad conditiones, quas Gallia æquas arbitrabitur. Vidi novos ærarii Præfectos, Præſidem Balliolum et Comitem Davauſium: omnia quæ ſperari posſunt promittunt pro Suedia et foederatis. Regina regens centum millia Scutatorum miſit Regi Angliæ. Ego hanc viam propono pacandis regnis Britanniæ, et reſtituendæ domus Palatinæ, ut Rex Britanniæ fidem faciat Reginæ regenti Galliæ, juncturum ſe arma cum Gallis ad reſtitutionem Palatinatus, ſimul atque pacem domi habuerit, quam facile, ubi de ceteris certa erit, ipſi procurabit Gallia pecuniâ et armis. Quod ſi deinde arma in Auſtriacos movere tantum coeperit Rex Britanniæ, videor proſpicere intra breve tempus pacem amicis tutam ac nobis glorioſam. In Francoſurtenſi conventu Bavarus, poſtquam multum

S jac-

jactavit ſuum pro pace obtinenda et libertate Germanica animum, et quantas res a Gallia obtinere posſet, nunc, recuperatis illis ad Onaſum terris, nihil ultra, aut de pace, aut de libertate loquitur; habet, quod voluit. In eo vero, quod Palatinam cauſam vult alibi tractare, quam in Germania, cætera major pars Principum contra ipſum eſt. Itaque Palatinas res qui agunt, parant ſe itineri in Weſtphaliam. Melos huc miſit ad faciendas inducias, quod ſi tale quid fiat, vis omnis in Torſtenſonium ingruet. Imo is periclitabitur, ſi quæ in Germaniam penetrare debuerant copiæ, in finem Belgicum transferantur. Cum Rege Portugalliæ arcanum hic convenisſe foedus affirmant nonnulli; negat id diſertim D. Davauſius, attamen audio Gallos poſtulare litteras itineris pro ejus Regis Legatis. Id ſunt qui fieri ajunt ad fallendos Batavos, ut ſic Galli, dilato tempore colloquii, res ſuas ex ſuo uſu conſtituant aut præparent. Bavarici milites apud Tubingam ſunt, non longe ab Heidelberga Lotharingici. Guebriani copias apud Friburgum esſe dicebant poſtremi nuncii: Melonis apud montem Hainaviæ. Batillerius jure ſibi concesſo in arctius conſilium veniendi non utitur. Præfectura arcis ad Sylvam Vincennenſem a Chavigniaco-translata ad Marchionem Montenaræ, qui olim eam habuerat. Sed pecunias et pro hac re et pro munere Secretariatus accepit Chavigniacus. Esguillonia ire jusſa Ruellas. Interim Dux Riceliacus Ponticurlæ filius tenet Portum gratiæ: Dux Fronſaci Bresſæus Bruagium, Bla-

retum

retum Millerajus, præcipua regni munimenta. Hæc quamdiu duratura ſint, videbimus cum tempore. Coignæus et Montigotus, qui apud Reginam matrem antehac fuere honoribus, reſtituti ſunt. Si id manet, quod de legatis ad pacem dixi modo, Davauſius prior iturus creditur. Longovillanum nempe retinet uxoris uterus. Bresſæa vero, Ducis Anguiani uxor, non longe a portu abeſt. Exiit hiſtoria Bartholomæi Grammondi, Præſidis Tholoſani de rebus Ludovici XIII ad annum MDCXXIII; dedicata eſt novo Regi, cui Germanicum imperium aperte pollicetur. Vidi nunc et Epiſcopum Bellovacenſem, qui flagranti apud Reginam Regentem eſt in gratia et nunc omnibus deliberationibus adhibetur. Negotia Suedica, tum ad bellum, tum ad pacem ei commendavi; ipſe vero valde comiter eorum curam ſuscepit. Deus, Illuſtrisſime Domine, Excellentiam tuam in proſperis rebus diu ſervet! Lutetiæ $\frac{X}{XX}$ Junii MDCXLIII.

Excellentiæ tuæ addictisſimus devotisſimusque cultor.

H. GROTIUS.

Caſtillionæum audimus fore inſpectorem domus Reginæ, reddita et ei Sigilla Ordinis Spiritus Sancti: Riceliacum et Fronſacum Duces et Millerajum in aulam vocari. Seditionem ortam Rovargiæ ad Theo-

donis villam CCXX millia militum. Tertium filium natum Sultano Turcarum. In regno Mogolis esse bellum civile. Buquojum vivere; sed male ei cum Hispano convenire. In prælio, quod in Cornubia factum est, captos ab Anglis Regiis mille septingentos; contra a Parlamentariis captam urbem Wakefieldam. Hispaniæ Regem, ne quid Galliæ Regi cedat, se dedisse in tutelam S. Virginis. Olivarii uxorem in gratia manere apud Reginam Hispaniæ. In Arragonia seditiones esse.

X C I I.

Adscripta litteris d. $\frac{X}{XX}$ Sept. MDCXXXV, D. SCHMALCHIO datis, quæ extant in Vol. impr. pag. 182.

Scripseram ad D. Cancellarium et ad Spiringium, rogare me ut sciam, unde recepturus sim trimestre, quod a Calendis Augusti deberi coepit, et itinerum impendia, quorum rationes bis transmisi. Spiringius vult, me id ex Gallica pecunia repetere: id vero est non ad Calendas Octobris aut Novembris, sed ad Græcas. Ego, qui multum in supellectilem parandam erogavi, spero fore, ut illæ solutiones non differantur. Quare si e dignitate regni videtur bene sustineri hanc legationem, rogo ut et nunc et in posterum certi videam aliquid. Ea in re æquissima precor, me adjuves, et paria, si res tulerit, exspectes. Si huic meæ rei prospectum satis esset, com-

commendarem et liberalitatem in eos, qui me ad regem deduxerunt, et pro Mousterii picturis jam paratis, et pro chartis Hottomanni, et in Hepstenium.

T. Nob. observantissimus

H. GROTIUS.

XCIII.

Adscripta litteris d. $\frac{\text{III}}{\text{XIII}}$ Novembris MDCXXXVIII, AXELIO OXENSTIERNÆ datis, et quæ exstant in Vol. impr. pag. 479.

Sentit Rex, pro Palatino nihil fieri posse, nisi plane constet, quid non in præsens tantum, sed et in futurum facere velit Anglia. Deniskio permissum est videre Principem Casimirum; sed ea lege, ne ei loquatur, nisi Gallice, Gallis præsentibus. Miror, Cardinalem, quod me docet Venetus, perstare in probanda ea, quam ipse conceperat, formula diplomatis pro Germanis, in quo est: non obstante crimine Majestatis.

XCIV.

Adscripta litteris, datis $\frac{V}{XV}$ Sept. MDCXL, AXELIO OXENSTIERNÆ datis, quæ exstant in Vol. impr. pag. 645.

Rogo, Sublimitas Tua hæc digna ducat sua cura. Alioqui ab uno gradu ad alium, deinde ad alium detrudemur. Et Galli honores pro commodis vendent. Tuæ Sublimitatis

Cultor studiosissimus devotissimusque

H. GROTIUS.

H. Grotii,

EPISTOLÆ

INEDITÆ,

EX

MUSÆO

MEERMANNIANO.

